DISSERTATIO

INAUGURALIS JURIDICA,

DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA

DE

ORIGINE DIVERSARUM CONSUETUDINUM LOCALIUM REGNI NOSTRI,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOAN. MAR. BAUD,

MED. CHIR. ART. OBSTET. DOCT. CHIR. PRACT. ET ANAT. P. O.

NEC NON AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMI ORDINIS JURECONSULTORUM DECRETO, PRO ADIPISCENDO DOCTORIS GRADU JURIS ROMANI ET HODIERNI, SUMMISQUE IN JURE HONORIBUS ATQUE PRIVILEGIIS, IN ACADEMIA LOVANIENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOANNES AUGUSTUS VANDIEVOET,

BRUXELLENSIS.

DIE 24 MARTII MDCCCXXVII, HORA XII.

LOVANII,

TYPIS FRANCISCI MICHEL.

A MES PARENS

FOIBLE TÉMOIGNAGE D'UNE RECONNOISSANCE ÉTERNELLE.

Prooemium.

Prægrave onus est et cum juvenilibus viribus impar tum dissertationis academicæ finibus minime coarctandum, narrare originem diversarum consuetudinum localium regni nostri. Neque hoc mihi propositum habeo, sed ea tantum quæ virorum eruditorum seculi nostri opera atque sagacitate circa statum publicum atque privatum provinciarum occidentalium imperii Romani usque ad earum per populos germaniæ factam occupationem, et circa statum publicum atque privatum novorum regnorum inde ortorum per omne medium ævum, disquisita sunt atque illustrata, quatenus ea regni nostri diversas regiones spectant, concinnare et ex his diversas causas proponere volui, ex quibus consuetu-

dinum nostrarum originem aliqua ratione possemus explicare. Cum vero ex eo jure quo sub imperio Francorum jam utebantur Belgæ consuetudines eorum diversæ posterioris ætatis originem ducere videantur, et jus ipsum quod in imperio Francorum obtinuit pro parte jure Romano niteretur, de Romanorum et Francorum imperio plura præmittenda sunt ut proprium dissertationis argumentum rite explicare possimus.

DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
DE
ORIGINE DIVERSARUM CONSUETUDINUM LOCALIUM REGNI NOSTRI.

§. 1.

Cæsarem armis victricibus totam Galliam emensum plurimas regiones Belgii hodierni ditioni Romanæ adjecisse, ita ut populi Romani imperium Rhenus finiret, ex ipsis ejusdem commentariis notum est (1). Batavi quoque qui insulam Rheni coluerunt, teste Tacito, Cattorum quondam populus, ex seditione domestica in eas sedes transgressus pars Romani imperii fiebant. (2) Hi tamen in *societatem populi Romani* adsciti diu suos mores retinuerunt, contra Belgæ ab Augusto in *formam provinciæ redacti* leges Romanas acceperunt.

Auctor commentationis quondam ab academia Bruxellensi præmio ornatæ (3) argumentis spe-

(1) De bello Gallico, lib. IV cap. 16.

(2) Histor. IV. 12. Annal. II. 6. de morib. German. 29.

(3) Mémoire sur la question depuis quand le droit romain est-il connu dans les Pays-Bas et depuis quand y a-t-il force de loi, par De Berg, Bruxelles 1783.

ciosis magis quam veris probare studuit, Belgas etiam sub imperio Romano antiquos suos mores retinuisse et jus Romanum in Belgio vim quidem obtinuisse inter Romanos qui ex Italia in provinciam Belgicam venissent, nunquam vero jus commune Belgarum factum esse; adeoque Francorum regno in terra Belgica constituto, in ea jus Francorum inter Francos, inter Belgas antiquum jus Gallo Belgicum, jus Romanum vero solummodo inter quosdam milites Romanos qui, post finitum Romanum imperium, in patriam redire non potuissent, vim habuisse eoque clerum quoque usum esse.

Jam vero Clariss. SAVIGNY qui in sua historia juris Romani per medium ævum tam egregie statum provinciarum Romanarum paulo ante et post earum occupationem per populos germanicos illustravit, scriptoris superius laudati gravissimos errores demonstravit (1), et nuper etiam apud nos vir clarissimus RAEPSAET illius scriptoris opinionem refutavit (2). Hujus viri quœs-

(1) Vol. III. ad finem. Analysis hujus operis continetur in: Annales de législation et de jurisprudence, Génève, 1820, vol. I et II. — Totum opus in linguam gallicam versum est Parisiis: Revue encyclopédique, vol. XXXI pag. 628.

(2) Analyse historique et critique de l'origine et des progrès des droits des Belges et des Gaulois, Gand, 1824, vol. II, pag. 71.

tiones diligentissimæ in multis eundem exitum habuerunt, quem in celeberrimo suo opere exhibuit SAVIGNY, et nuperrime etiam apud Anglos auctor operis de origine juris et institutionum politicarum Europæ recentioris (1) docere studuit, in ipsa Anglia ut in reliquis provinciis Romanis quas invaserunt populi germanici, jus Romanum ibidem per Romanum imperium firmatum juri atque institutionibus novis germanicorum populorum magis fundamento fuisse quam plerumque crederetur.

Hoc saltem hodie indubitatum esse videtur, jus Romanum in Gallia, cujus partem regiones Belgicæ fecerunt, ut in aliis provinciis introductum esse, et versus finem imperii romani in his provinciis quoque communem ejus usum fuisse non solum quod ad ipsam provinciarum publicam administrationem, sed etiam quod ad jus earum privatum spectat.

Hujus rei argumenta quædam in sequentibus paragraphis adferam, nec verisimile est, populum Belgicum per plura sæcula ditioni Romanæ subjectum, per magistratus Romanos guberna-

(1) SPENCE an inquiry in to the origin of the laws and political institutions of modern Europe, London 1826. *De legibus quibus Lusitani sub Romanis utebantur* exstat Dissert. ab Emanuele Pereira da Sylva edita in Tom. III. collect. Academ. Liturgiæ pag. 75.

tum, apud quem ipse usus linguæ Romanæ communis fiebat, a Romanis non alias leges quam quasdam leges criminales atque leges disciplinæ publicæ accepisse!

Minorem vim jus Romanorum in insula Batavorum obtinuisse, ex ipsis veterum testimoniis effici potest. Batavi enim socii magis quam subditi Romanorum censebantur (1) et insulam eorum jam versus finem seculi tertii tenuerunt Franci (2).

§. 2.

Egregie nostra ætate SAVIGNY (3), HUGO (4), aliique docuerunt, qua ratione jus cultum fuerit apud Romanos. Eo modo enim quo illi paullatum imperium suum extendebant et non solum Italiam totam sed remotissimas provincias subigebant præter strictum illud et antiquum *jus civile* quo soli cives Romani uti poterant, commune aliquod jus agnoscebant atque colebant, quod *jus gentium* vocatum est quasi jus apud omnes populos peræque constitutum.

(1) Cf. TACITUS l. l.—ARNTZENIUS Institut. jur. belg. civilis, Gron. 1783, Procem. §. 3.

(2) AMMIAN. XVII. 8.

(3) Op. laud. Vol. I pag. 3 sqq.

(4) Historia jur. rom. passim.

Secundum hoc jus præcipue Romæ prætor peregrinus, et in provinciis præsides jus dicebant, et ut Romæ prætores ita in provinciis omnibus præsides edicta proponebant ex quibus jus dicerent. Sine dubio in edictis provincialibus omnibus præsides singularum provinciarum ab initio ea potissimum receperunt, quæ moribus peculiaribus earum constituta erant, sed paullatim ipse prætor urbanus Romæ multa ex iis quæ apud omnes populos æque constituta erant in suo edicto recepit, sive juris civilis rigorem ex jure gentium mitigavit, ita ut ipsi cives magis magisque in jure gentium participarent, contra multa ab inito pro solis civibus constituta, legibus aliove modo ad omnes reliquos homines Romanos, qui nomine peregrinorum comprehendebantur, paullatim extendebatur, ita ut progrediente ætate, omnes ii qui in orbe Romano vivebant liberi homines simili jure uterentur. Manebat tamen usque ad tempora posteriora imperii Romani personarum distinctio in *cives* et *peregrinos*, et posteriori quoque ætate quædam adhuc, quæ juris civilis esse dicebantur, ad solos cives aptari poterant, conditio præterea personalis quasi media exstitit *latinitas* scilicet, per quam homines facilius ad *civitatem* pervenire poterant.

Licet autem post bellum Italicum omnes Itali regulariter *cives* facti essent, per exceptionem adhuc singuli in Italia viventes vel *peregrini* vel *latini* esse poterant, contra licet provinciales regulariter *peregrini* censerentur, non solum *latinitas* atque *civitas* Romana singulis provincialibus, sed etiam urbibus concedi solebat, ita ut omnes earum cives etiam vel Latinorum vel civium Romanorum jura obtinerent.

Hæ tamen diversæ imperio Romano subditorum classes, quæ nominibus *cives*, *latini*, *peregrini* indicabantur, non nisi personalem hominum conditionem circa usum jurium civilium spectabant, et ab iis ex viri clariss. Savigny sagacissima sententia, quam ille propria oratione in Academia Regia Berolinensi exposuit (1) bene distinguendum est *jus Italicum* tanquam jus quod non nisi urbibus, tanquam urbibus concedebatur, neque vero ut cum Sigonio (2) plurimi credunt, tanquam conditio personalis quartæ classis hominum liberorum imperii Romani considerari potest. Hoc jus Italicum ex ejusdem viri sententia consistebat in eo, quod urbes eo jure

(1) De jure Italico, inest in ejusdem *Zeitschrift*. Vol. V, pag. 242 et sqq. -- cum qua dissertatione conferenda est alia ejusdem auctoris de origine et progressu latinitatis l.l. pag. 229.

(2) De antiqno jure Italiæ in opp. Vol. V. pag. 280.

donatæ, velut urbes Italiæ libera republica et immunitate vectigalium gaudebant, earumque fundi *dominii quiritarii* fiebant capaces.

Alias urbes *liberæ* vel *immunes* esse poterant, quin jus Italicum haberent et non solum *coloniæ* sed ipsa *municipia* sine eo jure esse poterant. Jus Italicum vero nulli civitati tribuebatur nisi ei cujus cives civitatem Romanam vel saltem latinitatem haberent. Cum posteriori ætate libera respublica civitatum provincialium fere nullius amplius momenti esset, et potestas magistratuum municipalium maximam partem ad præsides provinciarum transiret, ut in ipsa urbe Roma potestas magistratuum antiquorum ad præfectum prætorio transiit (1), prætereà differentia inter bonitarium et quiritarium dominium cessaret; jus Italicum fere in sola immunitate vectigalium consistebat, et hinc in titulo pandectarum de *censibus* solo adhuc juris Italici fit mentio.

§. 3.

Omnis terræ tractus, qui sub Augusto galliæ Belgicæ nomine continebatur, posteriori ætate, verisimiliter, post occupatam jam per Francos

(1) SAVIGNY hist. jur. rom. Vol. I. pag. 31 et sqq.

insulam Batavorum, sub Constantino Magno in diversas provincias dividebatur, quarum tres tantum hodierni Belgii partem continebant, Belgica prima scilicet, Belgica secunda et Germania secunda. Belgicæ secundæ metropolis erat civitas Remorum (Reims) et ad eam civitas Tornacensis (Tournay) pertinebat. Belgica prima metropolim habuit Augustam Trevirorum (Treves), et verisimiliter partem hodierni ducatus Luxemburgensis complectebatur, germaniæ secundæ denique metropolis erat Colonia Agrippinensium (Cologne) et ad eam civitas Tungrorum pertinebat (1).

Jam vero civitas Agrippinensium Taciti tempore *Colonia* Romana esse meruerat, et Augusta Trevirorum quoque colonia appellatur ab eodem scriptore (2): indeque effici posse videtur, jam ea ætate utramque urbem vel civitatem Romanam vel saltem latinitatem habuisse (3); tum loco Pauli in pandectis, Colonia Agrippinensis *jus Italicum* habuisse dicitur (4). Licet vero hæc sola in omni Gallia Belgica civitas juris Italici in pandectis nominetur, in ea tamen plures

(1) Cf. Raepsaet, analyse historique. Vol. I. pag. 59 et sqq.

(2) Hist. IV. 72 de morib. Germ. 29.

(3) Cf. Asconius ad orationem in Pisonem, et ad h. t. Savigny vol. V. pag. 243. *Zeitschrift*

(4) L. 8 § 2. D. de censibus.

hoc jus habuisse videntur, nam pandectarum compilatores certe non curam habuerunt omnes urbes in provinciis occidentalibus eo jure prææditas adcurate enumerandi. Putat etiam Clariss. Savigny (1) pro certo indicio juris Italici habendum esse, si in inscriptionibus ad aliquam civitatem provincialem pertinentibus mentio fiat magistratuum italicorum e. g. Duumvirorum.

Urbes Italicæ plurimæ scilicet ad exemplum urbis Romæ sua comitia, sua judicia publica, suos magistratus suumque senatum habebant: summi eorum magistratus *duumviri* rarius *consules*, senatus vero *curia*, senatores *decuriones* dicebantur. Magistratus municipales qui ab ipsis municipiis eligebantur in iis, ut Romæ magistratus æternæ urbis, jurisdictionem exercebant libera republica, quæ vero sub imperatoribus admodum minuta est. Versus finem dominationis Romanæ curiam quidem et decuriones omnes civitates Gallicæ ideoque et Belgicæ habebant ut patet ex constitutione imperatoris Honorii (2) et ex loco Salviani (3), qui circà annum 440 Coloniæ Agrippinæ natus merito

(1) Histor. J. R. Vol. I. pag. 53.
(2) L. 121 C. Theod. de decurion.
(3) De gubernatione Dei, lib. V. cap. 4.

inter scriptores Belgicos recensetur (1). Primus Decurionum qui Curiam rexit ut in aliis provinciis, ita in Gallia *principalis* dicebatur ; hic vero nullam habuit jurisdictionem, ea etiam in urbibus ut quæstio criminum ad *præsidem provinciæ* pertinebat, qui *Judex ordinarius* provinciæ serius dicebatur, et suam jurisdictionem *legato* mandare poterat, neque vero potestatem in facinorosos animadvertendi (2). Posteriori ætate *defensores civitatum* in omnibus civitatatibus instituti sunt, et iis forte ad diminuendam præsidum potestatem aliqua jurisdictio data est (3).

Aliter se res habuit in civitatibus juris Italici. Has enim cum eo jure vel municipiorum vel coloniarum Italicarum rempublicam accepisse patet ex loco Ulpiani (4); illæ igitur, ut civitates Italiæ *proprios magistratus* habebant et a jurisdictione præsidum regulariter liberæ erant. Earum magistratus qui *duumviri* forte etiam *Consules* dicebantur non solum ut *principales* in reliquis

(1) Cf. Bibliotheca Belgica Foppenii, vol. II pag. 1090.

(2) L. 7. § 2. L. 6 pr. D. de offic. proconsul. L. 10. 11. D. de offic. præsidis. L. I. D. de officio ejus cui mand. est jurisd. L. 3 D. de jurisdict.

(3) Cf. t. t. cod. de defensoribus, et SAVIGNY histor. Vol. I. pag. 49 et sqq. minus adcurate hoc exposuit RAEPSAET I. pag. 170.

(4) L. 1. § 2. D. de censibus et SAVIGNY l. l. pag. 52.

civitatibus provincialibus Curiam regebant, sed etiam jurisdictionem habebant magis extensam ea quam in reliquis civitatibus tempore posteriori defensores obtinuerunt, licet illa quoque sub imperatoribus paullatim ad præsides provinciarum transiret, ut etiam in Italia et in ipsa urbe Roma non solum judiciorum publicorum antiquus ordo sublatus est sed etiam antiquorum magistratuum *populi* Romani atque municipalium jurisdictio et potestas magnam partem ad præfectos urbi et prætorio, aliosque magistrus *imperiales* transiit.

Manebat tamen usque ad invasionem populorum germanicorum tam in civitatibus Italicis quam in provincialibus quæ jus Italicum habebant non solum nomen sed etiam aliqua potestas duumvirorum et ubi illud nomen occurrit, jus Italicum quoque obtinuisse pro certo habere possumus. Cum vero in antiquis monetis atque inscriptionibus *Consulum* civitatis Remorum fiat mentio, atque hæc civitas sub ipsa dominatione Francorum liberiorem rempublicam quasi perantiquam conservaret (1) ea jus Italiæ habuisse videtur, ut Colonia Agrippinensium. Verisimiliter etiam Augusta Trevirorum, cum Colonia dicatur, Italicæ coloniæ rempublicam habuit,

(1) Savigny l. l. pag. 275. pag. 61 not. 129 ibique laudatus Otto de ædilitiis Coloniis cap. 2. § 6.

et si hæc omnia cum iis quæ §. superiori exposita sunt conferamus, pro certo haberi posse videtur cives trium urbium ad quas quasi metropoles, excepta Batavia, omnes regiones hodierni Belgii ultimis imperii Romani temporibus pertinebant vel quasi cives Romanos vel saltem quasi Latinos jure Romano usos esse jam antea, adeoque jam ante Constitutionem Caracallæ, qua omnium civitatum imperii Romani cives civitatem Romanam obtinuerunt. Sine ratione De Berg in jam laudata commentatione (1) contendit illam constitutionem provincialibus nihil præter nomen dedisse, sed dubitari non potest ea constitutione pro provinciis id effectum esse quod lege Julia jam pro omni Italia effectum erat, et hinc etiam omnium civitatum Belgicarum cives generaliter personalem conditionem civium Romanorum obtinuisse quam jam antea omnes cives singularum civitatum vel singuli cives fere omnium civitatum obtinuerant. Neque tamen Romana civitate omnibus provincialibus data, cum omnibus civitatibus provinciarum communicatæ sunt prærogativæ juris Italici.

Civitatis Romanæ donatio enim a Caracalla facta ut docuit Savigny (2) non nisi conditionem

(1) Mémoire pag. 7.
(2) Hist. jur. rom. Vol. I pag. 62. *Zeitschrift* Vol. V. pag. 240. 245.

personalem civium singulorum, concessio vero juris Italici civitatem tanquam universitatem et ejus rem publicam atque soli naturam spectabat (1), hinc etiam post Caracallam usque ad Justinianum jus Italicum tanquam jus peculiare singularum civitatum provincialium considerabatur.

Neque civitate omnibus provincialibus data (2) antiqua differentia inter cives, latinos et peregrinos omnino cessabat, ea enim usque ad Justinianum in libertis continebatur, et ab hoc demum imperatore penitus sublata est (3) manente sola differentia inter liberos et servos.

§ 4.

Possumus itaque generaliter dicere versus finem imperii Romani in provinciis plurimis quæ hodie regnum nostrum constituunt jus obtinuisse omni imperio commune, eoque jure

(1) Hinc etiam plura juris præcepta quæ de *fundo Italico* in libris juris Justiniani et alibi proponuntur e. g. Gaius comm. I. § 120. Ulpiani fragm. tit. 19. § 1. pr. J. de usucapomib. L. un. § 15 C. de rei uxoriæ actione. e. q. s. r. non minus de fundo *Agrippinensium* quam de fundo *Tusculano* atque de omnium civitatum quæ *jus italicum* habebant, fundo valebant.

(2) L. 17 D. de statu hominum.

(3) Tit. cod. de latina et dedititia libertate tollenda.

provinciales non minus quam incolas urbis Romæ atque Italiæ usos esse post civitatem Romanam cum omnibus communicatam.

Minus recte tamen dicitur, jus Romanum factum esse jus commune Gallorum (1); nam fere eodem jure dici potest jus Gallorum factum esse aliquatenus jus Romanorum, mutua enim quasi largitione pedetentim juris communitas inter urbem, Italiam atque provincias effecta est. Insuper præter illud jus commune omnibus provinciis et locis, jus in singulis provinciis atque civitatibus particulare obtinere poterat. Verisimiliter enim in omnibus fere provinciis ex eo jure quo eæ ante imperium Romanum usæ sunt, quædam in vigore manebant usque ad extrema imperii tempora et ad hoc respiciens Justinianus in Pandectis recepit locum, ubi dicitur: quædam puniuntur *more provinciarum* (2); urbes quoque quæ jus Italicum habebant, saltem durante libera republica Romana leges condere poterant, et adhuc tempore Ulpiani dubium hoc videri poterat num ejusmodi *lege municipali* derogatum sit per constitutionem principis (3).

(1) Du Bos, histoire critique de l'établissement de la monarchie française.

(2) L. 9. D. de extraord. criminib.

(3) L. 3 § 5 D. de sepulcro violato.

Fortasse etiam in Belgio particularia quædam juris gallici antiqui præcepta durante imperio Romano conservata sunt; cum autem ignoremus quo tempore ipsæ Belgicæ civitates, quæ jure italico gaudebant, civitatum Italicarum rempublicam obtinuerint, scire non possumus, num in iis leges municipales unquam latæ fuerint alicujus momenti; jus enim municipiorum proprias sibi leges sanciendi, si quod erat adhuc sub imperatoribus, saltem non ipsis manebat per longum tempus. Ceterum eo tempore quo regiones Belgicæ a populis Germanicis occupatæ sunt, jus Romanum ibidem tanquam jus earum commune ut in aliis imperii Romani partibus *revera* tantum ex duobus elementis constabat, constitutionibus principum scilicet et scriptis JCtorum, licet tanquam juris fontes adhuc leges, plebiscita, SCta, edicta magistratuum, principum placita et mores *nominarentur* (1). Ex his duobus elementis etiam jus Justinianeum compositum, ex his duobus elementis eodem fere tempore in regno Visigothorum Breviarium Alaricianum confectum et in regno Burgundionum lex Romana concinnata est, quæ ad nostram ætatem pervenit, ex his elementis denique sine dubio etiam jus Romanum constabat, quod

(1) Savigny, hist. Vol. I pag. 7.

ut mox videbimus *legis Romanæ* nomine præter *legem salicam* aliasque in regno Francorum vim habere pergebat (1), licet ignotum sit, num Francorum reges, ut alii, illud unquam in proprio codice colligi jusserint. Monendum denique est Belgas et Gallos generaliter a populis Germanicis, qui eorum regiones occupaverunt, tanquam Romanos consideratos esse, ita ut in legibus barbaris omnibus ne nomen quidem Belgarum vel Gallorum inveniatur (2); sed sæpissime in iis de hominibns *Romanis* sermo est, sub quibus omnes earum provinciarum incolæ intelligendi sunt qui prius sub ditione Romana erant ut sub hominibus *barbaris* novi advenæ.

§. 5.

Post primas suas incursiones, magna jam Romani imperii parte occupata, populi Germanici potuissent, ut suam potentiam stabilirent in novis regnis condendis, aut servos reddere aut exstirpare debellatos populos, aut moribus legibusque suis eosdem regere; neutrum tamen

(1) Cf. Raepsaet, op. laud. II. pag. 68 et sqq. præcipuè pag. 76.— Ex fragmentis juris Romani tamen recens repertis circa hanc rem hodiè adcuratiorem notitiam habemus iis quæ in loco laud. præstantissimi alias operis præbentur. Cf. quoque vol. I pag. 201.

(2) Cf. Meyer, hist. des inst. judic. vol. I. pag. 272 not. 1.

placuit (1). Licet ingens Romanorum copia cæsa sit, expulsa aut redacta in servitutem omni tamen populo hæc sors non contigit, neque Belgis, qui, ut diximus, Romanorum nomine continebantur. Multo potius victis populis permiserunt victores porro eo jure uti, quo usi erant ante occupationem, et victores ipsi cum victis viventes in iisdem locis, suis vivere pergebant legibus atque consuetudinibus: adeoque Germani ipsi ex diversis gentibus in eodem regno viventes ibidem suis quisque legibus utebantur, ita ut teste AGOBARDO sæpius quinque homines convenire possent quorum quivis alio jure uteretur (2); Leges itaque atque jura ea ætate *personalia* erant, neque eorum usus à *territorio* pendebat. Hoc cum in aliis regnis tum etiam in regno Francorum obtinuit, quorum imperio paullatim diversæ provinciæ quæ hodie regnum nostrum constituunt, subjectæ sunt. Quo tempore hoc factum sit, non nostrum est hic disquirere, multum ab hac re a veritate aberravit d'OUTREPONT (3). Cæterum distinguere possumus cum viro Clar. RAEPSAET inter imperium Romanum

(1) Cf. SAVIGNY, vol. I. pag. 90. Annales de législation de Génève, vol. I. pag. 1. RAEPSAET, vol. I. pag. 192.

(2) Epistol. ad Ludov. Pium. BOUQUET, tom. VI. pag. 356.

(3) Cf. Responsum ad quæstionem superius relatam Academiæ Bruxellensis, cap. II. pag. 17.

facto et *jure* finitum (1). Belgæ vero sub imperio Francorum, quod libenter tulisse videntur (2) jure Romano quo antea usi sunt, uti pergebant, cujus rei antiquissimum testimonium in constitutione regis Chlotarii anni 560 legitur; in ea cap. 4 præcipitur « *Inter Romanos negotia causarum legibus Romanis terminari* » et ex ejusdem constitutione cap. 13 patet, clerum quoque ea ætate jure Romano usum esse (3). Ut Romani jure Romano, non solum Franci sed etiam Saxones, Frisones aliique Germani qui sub regum Francorum ditione in terris belgicis vivebant suis legibus utebantur (4), quarum collectiones legis *salicæ*, *Ripuariæ* atque *Saxonum* nomine ad nostram ætatem pervenerunt, omnesque qui in provincias Romanas irruperant Germani, in ipsis legibus sæpius Barbarorum nomine comprehenduntur. Batavi num pro Romanis an pro Barbaris fuerint habiti cum certitudine dici nequit, eos jam post occupatam per Francos Insulam Batavorum fere penitus

(1) Vol. I. pag. 202, 208 sqq.

(2) Cf. SALVIANUS apud DU BOS Vol. I. pag. 415. RAEPSAET Vol. I. pag. 190.

(3) BALUZII capit. Tom. I. pag. 7.

(4) Cf. ARNTZENIUS, de origine et progressu juris belgici civilis, Groning. 1787, pag. 2 § II. RAEPSAET, vol. I pag. 68, 69. Vol. II pag. 42 sqq.

exstirpatos fuisse, putant nonnulli (1). Victi itaque populi et victores in novis regnis germanicis suis legibus vivere pergebant, neque tamen credendum est, Romanos atque Barbaros æqua omnino ratione juribus civilibus atque politicis uti potuisse. Pejorem in multis Romanorum conditionem fuisse, ex iis videri potest quæ refert Montesquieu (2): « Quand on avait tué un Franc, » un barbare ou un homme qui vivoit sous la » loi salique, on payait à ses parens une com- » position de 200 sous; on n'en payait qu'une » de 100 lorsqu'on avait tué un Romain pos- » sesseur. (lex salica tit. XLIV § 15) et seulement » une de 45 quand on avait tué un Romain » tributaire. La composition pour le meurtre » d'un Franc vassal du roi était de 600 sous et » celle du meurtre d'un Romain convive du roi » n'était que de 300 sous. Elle mettait donc une » cruelle différence entre le seigneur Franc et » le seigneur Romain et entre le Franc et le » Romain qui étaient d'une condition médiocre. » Ce n'est pas tout, si l'on assemblait du monde » pour assaillir un Franc dans sa maison, et » qu'on le tuât la loi salique ordonnait une com- » position de 600 sous, mais si on avait assailli

(1) Van De Spiegel, over den oorsprong der vaderlandsche rechten, te Goes, 1769, pag. 8.

(2) Esprit des lois, liv. XXVIII, chap. 3.

» un Romain ou un affranchi on ne payait que » la moitié de la composition. Par la même loi » si un Romain enchainait un Franc il devait « 30 sous de composition; mais si un Eranc » enchainait un Romaiu il n'en devait qu'une » de 15. Un Franc depouillé par un Romain avait » 62 1/2 sous de composition et un Romain de» pouillé par un Franc n'en recevait qu'une de » 30. Tout cela devait être accablant pour les » Romains (1) ».

Insigne discrimen itaque victum inter atque victorem obinuit ratione compositionum sive mulctarum, quibus apud omnes populos Germanicos crimina lui poterant; notandum tamen est legem Ripuariam quoad compositionem non solum inter Romanum et barbarum sed etiam inter Francum aliosque barbaros distinguere (2); hoc vero JCtus Savigny (3) ex eo explicat quod lex Ripuaria posteriori ætate scripto consignata est, et populi Germanici primis temporibus post sedes suas in provinciis Romanis collocatas quoad usum jurium inter Romanos tantum et barbaros distinxisse viden-

(1) In hoc loco tamen vir clarissimus non optimam lectionem legis salicæ secutus esse videtur : Cf. SAVIGNY, Vol. I, pag. 94 sqq.

(2) Lex Ripuar. tit. XXXVI. § 1. 2. 4.

(3) l. l. p. 97.

tur. Sic e. g. verisimiliter in terra a Francis salicis occupata prius singuli alii Germani inter Francos versantes, ut ipsi Franci lege salica utebantur; postea vero cum Franci alios populos Germanicos quoque subegerant, his populis quoque subactis suorum jurium usum permittebant, et sic fortasse insula Batavorum per Francos occupata, quod jam ante *provincias* Romanas occupatas contigit, singuli Batavi inter Francos adhuc versantes lege salica vivebant, quare de *lege Batavorum* nusquam sermo est, et posterius Francorum imperio versus meridiem in provincias Romanas, Burgundicas et Visigothicas, versus septentrionem in sedes a Frisonibus et Saxonibus occupatas extensa præter legem utramque Francorum lex Romana, lex Gothica, Burgundica, Saxonica, Frisonum tanquam leges personales horum diversorum populorum in regno Francico vim obtinuerunt.

Ad hanc diversitatem etiam spectant verba quæ in juramento anno 858 a Rege Carolo præstito leguntur « *unicuique competentem legem et justitiam conservabo* » (1).

Innumera alia hujus rei testimonia à Viro Clar. Savigny et à nostro Raepsaet collecta sunt.

(1) Baluz. II pag. 100. Walteri, edit. recentiss. Vol. III, pag. 78.

Omnia illa jura *popularia* legi *ecclesiasticæ* et *capitularibus* opposita *legis mundanæ* nomine veniebant (1). Licet vero satis constet, dominantibus Francis in Belgio diversas gentes diverso jure usas esse et singulum quemque ex propriis gentis suæ legibus judicandum fuisse; jam ex eo quod de meliori populi dominantis conditione diximus, effici posse videtur non cuivis fuisse optionem juris utrum vellet, lege Romana, an salica, aliave vivere. Hanc opinionem quondam professus est atque divulgavit MURATORI (2) et nuper adhuc adoptavit pluribus locis vir Clar. RAEPSAET (3). Eam vero jam LUPI (4) tam egregiè refutavit ut in ejus sententiam discedere non dubitaret SAVIGNY (5), qui in singulis tamen ab hac sententia quoque discessit et omnem rem adcuratius demonstravit. Probavit vir Clariss. *regulariter* ab origine hominum eorum jus pependisse, licet singulæ essent hujus regulæ *exceptiones*, præcipue *ecclesia jure Romano vivere intelligebatur*, sed singuli clerici si maluerunt jus suum origina-

(1) Ita RAEPSAET, Vol. II. pag. 42. et SAVIGNY, vol. I. pag. 112.

(2) Antiquit. Ital. T. II. pag. 261.

(3) Vol. I. pag. 194. Vol. II. pag. 42.

(4) Codex diplomaticus civitatis et ecclesiæ Bergomatis. Bergomi 1784 dissert. 4. pag. 213-232.

(5) Vol. I. pag. 112 sqq. Cf. MEYER, vol. II. pag. 287.

rium poterant eligere et *uxor mariti conditionem sequebatur*, matrimonio vero dissoluto ad jus suum originarium redire poterat. In regno Longobardorum etiam liberi naturales optionem juris habebant et cum in hoc regno summa esset jurium popularium diversitas, ibidem *professiones* introductæ sunt, quibus multi inducti sunt in opinionem, quemcumque quo vellet jure uti potuisse (1). Hæ vero professiones in Italia diu usitatæ extra Italiam nunquam in usu erant, neque probant in ipso Longobardorum regno optionem juris omnibus datam fuisse: constitutio denique Lotharii anni 824 quæ liberam civibus *urbis Romæ* optionem juris concessit (2) tanquam jus singulare considerandum est, cujus concessionem Savigny perspicue ex illius ætatis historia explicat. In regno Francorum liberam juris optionem omnibus datam fuisse, ne levissimo quidem testimonio confirmatur, sed verosimiliter reges Francorum singulis quasi præmium permittebant secundum Francorum legem vivere (3) ut apud Romanos ci-

(1) Cf. Matthæus, de nobilitate lib. I cap. 27, ubi etiam diversi loci laudantur, quos explicat Savigny.

(2) In collectione nova Walteri, vol. III pag. 643.

(3) Cf. Savigny, vol. I pag. 118. hujus rei testimonium nullum exstare, putat. Tale verò testimonium adtulit Meyer, vol. I pag. 273 not.

vitas concedi solebat, et hoc sine dubio Romanis potissimum optabile videri debuit, cum Francorum conditio melior esset. Recte itaque operis de monarchia Francica scripti auctorem MONTLOSIER qui æqualitem in regno Francorum inter populos victos et victores obtinuisse contendit, propterea vituperat MEYER (1), neque tamen omnino in ejus sententiam dicedere possum, cum dicat: « nous supposons au contraire que les Romains étaient tolerés par les Germains, qu'on leur avait permis de vivre d'après leurs propres lois, quelquefois d'avoir leurs propres magistrats, qu'ils pouvaient jouir individuellement de quelque faveur, mais qu'en règle générale ils étaient exclus du droit de cité, et surtout de l'influence politique à peu près comme les juifs dans quelques contrés ou que les Banians dans l'Inde ». Hoc tamen adcuratius sequenti paragrapho examinabimus.

§. 6.

Francorum omniumque germanorum populorum reipublicæ quasi fundamentum considerare possumus cum Clarissimo SAVIGNY (1)

(2) L. l.
(1) L. l. vol. I pag. 160.

classem *liberorum hominum* quos generaliter etiam *bonos homines*, *Arimannos* Longobardi, Franci *Rachimburgos* alii populi *Frilingos* sive *Friborgos* dicebant.

Plerumque sub *Rachimburgis* intelligitur non *classis* hominum liberorum, sed *ordo* hominum adeoque magistratus et quia in documentis posterioris ætatis lòco illorum qui antiquissimis temporibus judicabant in judiciis sive placitis Germanorum *scabini* tanquam judices leguntur, Rachimburgi et scabini pro iisdem personis habentur, adeoque illud nomen RAEPSAET synonymum esse putat vocis belgicæ *Raad van 't Burgt* (1).

Rectius Helvetiorum historiographus JOH: MUELLER illius nominis originem derivavit a voce germanica *Reck* quod apud veteres germanos bonum strenuumque virum significavit (2), et

(1) Vol. I. pag. 314. — Eamdem sententiam habet scriptor recentissimus *de populorum medii ævi institutis*. SPENCE origin of Law. pag. 440.

(2) SAVIGNY, l. l. pag. 185. e. g. apud Hispanos *Ricos Hombres*. De *Ricohomine* tamen quasi magistratu loquitur scriptor Lusitanus *Mellius Freirius* in historia juris lusitani Olisipone 1788, pag. 73. Idem auctor in institution. juris civilis lusitani vol. I. Olisip. 1799 de *ricis hominibus sive bonis viris* loquitur.

firmissimis argumentis probavit Savigny, vocem *Rachimburgi* in eodem sensu in antiquis testimoniis inveniri, in quo de *bonis hominibus* sermo est (1); erant igitur illi *Rachimburgi* liberi homines in regnis germanicis et forte, ut observat Savigny ipsa nomina *Germanus*, *Allemanus* (varia lectio vocis Arimanus) *Gothus* (goede mannen) *Francus*, originarie nihil aliud significabant.

Ut vera significatio vocis *Rachimburgi* ita etiam vocis *Arimanni* significatio genuina diu

Homens bons, Ricos homens, Filii bene natorum, moços fidalgos. Cf. Histor. jur. Lus. pag. 43, pag. 47, 59, 144. Notatu digna potissimum sunt verba diplomatis de placito anno 1158. habito. « Et denique inde Cresconi ante Domino Egaz Moniz et ibi Sisnando Odoris, et alii filii bene natorum, et exquisierunt, ut Ego Troyla non habebat ibi in illas hereditates nulla causa nisi herentia in sancto Petro de Arouca. Et viderunt bonos homines, et domino Egas, ut ipsa cambiatione firmiter extitisset pro hac sententia et placuit mihi. » Porro in áctis comitiorum ab Alphonso secundo habitorum hæc leguntur : No anno primeiro que reinou o muy nobre Rey Afonso II em Coimbra fez Cortes em as quaes em Conselho de D. Pedro Bispo cleito de Brago, de todos os Bispos do Reyno e dos homens de Religiaô, e dos Ricos homens, e seus Vassallos estabelesceu Juizes. » Cf. probi homines villæ, preud-hommes, welgeboren mannen, goede mannen, in consuetudinibus Gallicis et Belgicis. Raepsaet, Vol. III. pag. 113, 140. — Cf. F. Coelho de Souza E. S. Paio prelecções de dereito patrio. Coimbra 1793, pag. 42 not.

(1) Cf. etiam Meyer, vol. I. pag. 109.

plurimis eruditis parum nota erat. Inter hujus erroris causas Savigny diploma Caroli magni anni 808 laudat, in quo sermo est tam de *Arimannis* quam de *aliis liberis hominibus* (1). Sed optime hoc explicat Savigny dicens sub arimannis liberos homines gentis Longobardicæ intelligendos esse, sub aliis liberis hominibus alios liberos germanos vel etiam Romanos (2), ut etiam voces *Francus*, *Gothus* quæ fortasse liberum hominem ab initio apud omnes populos germanicos significaverant, posterius tantum singularum gentium liberos homines indicabant. Neque sub bonis hominibus vel Rachimburgis omnes omnino liberi servis oppositi intelligendi sunt, sed tantum ii qui ei militiæ quæ dicebatur *heerbann* nomen dare et in conciliis præcipue iis quæ *gauding* dicebantur judicare poterant (3). Optime comparari possunt boni homines

(1) Muratorii antiquit. Jt. T. I. pag. 741.

(2) Vol. I. pag. 163. Cf. Annales de législat. de Génève, Vol. I. pag. 241.

(3) Cf. Raepsaet, Vol. I. pag. 303; hujus vocis *gauding* qua comitum placita indicabantur synonymum esse vocem belgicam antiquissimam *vierschare* contendit, et cum ii qui in his consiliis judicabant *Scaramani* dicerentur, hæc vox quoque fortasse idem quod *Arimanni* signfiicabat. *Virscare* ipsum quod sic legitur in antiquissimis monumentis, videtur tantùm versio latina et vocis *heerman* originarie synonymum esse sive id quod *vir turbæ*, unde quia tantum

cum iis qui apud Romanos *cives optimo jure* dicebantur, et ut hi tantum *dominium ex jure*

liberi homines in comitum placitis judicare poterant serius *gaugeding* et *vierescharen* idem significabat, ut etiam apud Anglos *Shire* hodie id quod *comté* indicat, cum originarie fortasse id quod *heer* sive turba denotaret, unde *Sherif*, *schrieve*, *shire reeve*, quasi dux gregis postea pago præfectus; et ipsa vox *Graafio* fortasse similem habet originem. In antiquis monumentis Anglicis pro *Sheriff* legitur *Shire gerieve* *Worthington* an inquiry into the power of juries to decide incidentally on questions of Law, London 1825, pag. 18. — Et in locis Westphaliæ ubi quondam Anglo-Saxones habitabant loco *Graf* dicebatur *gereve*, *greve* quod sæpius in diplomatibus legitur. Cf. BLACSTONE, ed. 15. Lond. 1809. Vol. I. pag. 115. Vocis *vierschare* synonymam esse vocem gallicam *assises* etiam RAEPSAET dicit, et hæc vox quoque quæ apud Gallos et Anglos id, quod placitum in legibus Germanicis, originarie sane assessores sive judices ipsos significabat, sive id quod Scaramanni, quia quondam judices ex turba adstantium sumebantur, vel ipsa turba sive omnes viri turbæ omnes scaramanni sive arimanni judicabant. Hinc illa verba : « omnis *turba* acclamat dignum esse morte » in antiquo diplomate placiti in urbe Tornacensi seculo septimo habiti. Cf. SAVIGNY, I. pag. 200. BOUQUET, Tom. III. pag. 533. Quam vocem adhuc belgice *schaar* vertimus. Ex his etiam originem duxisse videtur mos probandi consuetudines per *turbas* apud nos quondam generalis. Apud Scotos adhuc *jurati* adpellantur *assizers*. Cf. HUME comm. on the Law of Scotland. Edinb. 1819. Vol. II. pag. 298. Etiam *Friborges heofed* id quod *shire-gerieve* significasse videtur, et *scyre gemotus* ab initio id quod belgice dici potest *schaar genoot*. Ut vox *Shire* etiam vox *hondred* aliquam turbam liberorum hominum significabat, antequam ad pagos et vicos ipsos eæ denominationes transirent. Vocabuli *schire* vero cum voce la-

quiritium ita etiam soli Rachimburgi sive boni homines tale dominium habere poterant, quale apud eos verum domium dicebatur (1). Præter Rachimburgos vel cives optimo jure aliud erat genus hominum liberorum qui eadem jura non habebant atque tantum bona tributariorum nomine possidebant; his, cum ii se ipsos armare et sine stipendio suo sumptu in bellum proficisci non possent, defensio ac salus patriæ non demandabantur. Quæ classis hominum licet omnia jura et privilegia civium non obtineret multo tamen superior erat servis, nec multum disparitatis inter eos ac *proletarios* reipublicæ Romanæ fuisse observat MEYER (2); minus recte tamen eos cum *latinis* comparat vir clarissimus,

tina *gyrus* nulla conjunctio esse videtur. Licet enim ad exemplum *itineris Camerarii, itinerum Justitiarii, circuit-ayres*, comites quoque in suis pagis circuitus habebant, *tournées des vicomtes, ommegangen, sherif-turns*, notandum tamen est vocem *scara* esse hac consuetudine multo antiquiorem et verbum *shire* tantum ex alia hujus vocis pronuntiatione ortum. Nec verbum *ommeganck* idem est quod *vierschaar*, sive *gaugeding, algemeen geding*, multò potius antiqua pagorum placita in Anglia ipsa per regiorum judicum circuitus in desuetudinem abierunt, ut ipsi comitum circuitus judicia centenariorum sustulerunt. Cf. locus ex antiquo libro juris anglici apud RAEPSAET, vol. III. pag. 135. BLACKSTONE, ed. 1809, vol. I. pag. 115.

(1) Cf. SAVIGNY, vol. I. pag. 161. *Aechtes Eigenthum*, Cf. Annales de législation, pag. 203.

(2) Vol. I. pag. 112 sqq.

neque etiam cum *peregrinis* Romanorum ii comparari possunt: nec denique in hanc viri clarissimi sententiam discedere possum, omnes Romanos ad hanc classem pertinuisse (1). Non solum enim in lege salica inter Romanos *possessores* sive eos qui res in pago proprias babent, atque Romanos *tributarios* distinguitur (2), sed etiam in antiquis diplomatibus expresse sermo est de Rachimburgis Romanis. Notatu dignum potissimum est diploma de placito anno 918 habito cujus verba hæc sunt: « cum in Dei nomine resideret Aridemandus una cum abbatibus, presbyteris, judices scaphinos et regimburgos tam Gotos quam Romanos seu etiam salicos etc. » — Simul ex hoc diplomate in cujus fine tanquam præsentes quinque judices Romanorum, quatuor judices Gothorum, octo judices salicorum postea sexdecim aliæ personæ nominatim et plures alii boni homines generatim recensentur, manifeste patet, Rachimburgos *eosdem* ac bonos homines atque *diversos* a judicibus sive scabinis fuisse quæ omnia perscipue exposuit Clar. Savigny (3).

Ut enim apud Romanos in judiciis publicis

(1) L. l. et pag. 273. 385.

(2) Cf. locus supra laud. Clariss. Montesquieu et legis salicæ, tit. XLIV. § 7 et 15.

(3) L. l. pag. 181.

antiquissima ætate *omnes cives* judicabant, postea vero institutis quæstionibus perpetuis *selecti judices* tantum, ita etiam apud Germanos antiquissima ætate *omnes Rachimburgi* in placitis populi et minoribus præsentes judicabant, pos tea vero judicum ordo institutus est, iique quibus judicandi officium erat *judices* vel *scabini* adpellati sunt. Utraque vox *conjuncta* etiam in usu fuisse videtur, ut e. g. patet ex diplomate modo relato ubi de *judicibus scaphinis* et *rechimburgis* sermo est, neque vero de *judicibus sive scaphinis* et *rechimburgis*, hinc fortasse effici posset originarie *judicem scaphinum* id quod *judicem selectum* significasse (1), nam

(1) In Belgio quoque voces *Scabini-judicatores*, *judices-Scabini* in usu erant. Cf. Raepsaet, Vol. III. pag. 144. Fortasse hæc vox cognata est voci *scarriti*, qui quasi ex *scara selecti* et *gezwoorne*, *juratores* adpellati, cum magistratu id habuerunt quod dicebatur *deurgaande waerheid* et quod *information préparatoire* vertit Raepsaet, Vol. I. pag. 305-312. Gallice dicebatur *franche vérité*. Cum hac re conferri potest id quod in antiquis judiciis Drenthinis dicebatur *wysheid van den Lande* quo nomine collectivo comprehendebantur judices dicti *Etten* vel *jurati*, ut etiam scabini in legibus Frisicis dicuntur *Wisaliod*. Alii illos comparant cum iis, qui apud Frisones dicebantur *Atten*, *Azen*, *Azingen*. Cf. Vos de judiciis Drenthinor. antiquis, Groning. 1825, pag. 34, 35. Cf. etiam Raepsaet, Vol. III. pag. 137. Amplius *franchisias* sive *franches vérités*, dictas fuisse *ommeganck*, *deurging*, *equitatura*, *beryding*, quia equis vecti scabini ab uno loco ad alium se contulissent, refert Raepsaet, easque fuisse *le complément des vierscares*

etiam post ordinem judicum institutum præter scabinos qui adesse debuerunt, omnes rachimburgi in judiciis adhuc non solum adesse, sed etiam judicare poterant cum scabinis. Hoc tamen, quod SAVIGNY generaliter obtinuisse contendit (1), alius rei judiciariæ germanicæ investigator, eruditissimus MAURER (2) in ordinariis quidem judiciis sive placitis generalibus (ungeboten ding) neque vero in extraordinariis

generales ou gaugeding, contendit. Vol. I l. l. Idem obtinuisse videtur in judiciis Drenthinis dictis *Goorspraken* quæ in quovis *Dingspil* habebantur, ad hæc enim magistratus venit cum delegatis ex quaque vicinia *met dertijn personen ende met dertijn peerden.* Cf. Vos, l. l. pag. 46. Illorum officium erat *deferre crimina in sua vicinia perpetrata.* Cf. Charte de Philippe Auguste de 1222. Apud RAEPSAET, l. l. p. 309. « *Omnes homines in hac franchisia existentes jurabunt quod non celabunt forisfacta.* Cf. amplius antiquissima lex Anglorum: *Habeant placita in singulis wapentachiis et exeant seniores duodecim Thani vel præpositus cum iis et jurent quod neminem innocentem accusare nec noxium concelare velint.* Ex his quidam ducunt originem judicii juratorum apud Anglos quod dicitur *Grand-Jury*. Cf. tamen MEYER Vol. II. pag. 226, et WORTHINGTON pag. 24.

(1) Vol. I pag. 200.

(2) In dissertatione de re judiciaria Germaniæ antiqua, quæ ab Academia Monacensi præmio ornata et Heidelbergæ 1824 typis exscripta est, pag. 64. — Auctor hujus commentationis quondam procurator imperialis in imperio Franco-Gallico hoc anno in nova universitate Bavariæ quæ Monaci est, juris gallici professionem est auspicatus.

(geboten ding) obtinuisse, existimat (1). Ut vero ad nostram quæstionem de Romanorum conditione in regno Francorum redeamus; ex his quæ jam diximus, satis superque patet fundamento carere sententiam MEYERI: « *que les Romains étaient exclus de ce qui distinguait le citoyen actif*, » nec verum videri quod jam superius retulimus « *qu'ils étaient tolerés par les Germains comme les juifs dans quelques contrées.* » Cessat itaque ratio ex qua vir clariss. negat Romanos nec nobilium privilegiis frui potuisse, non solum enim de *proceribus* et *optimatibus* Romanis in diplomatibus sermo est, ut ipse fatetur vir Clariss. sed etiam ii inter *antrustiones*, *convivas Regis*, *fideles*, *vasallos* esse poterant, in quibus jam paulo post galliæ occupationem prima vestigia juris feudalis quod posteà omnes nexu suo amplectebatur, inveniuntur (2). Ipsa Francorum nobilitas, ex qua antiquitus populus Reges eligere solebat, paulo post occupatam Galliam tamquam proprius ordo populi cessavit, et non nisi in antrustionum

(1) Minus recte RAEPSAET placita præter generalia habita ordinaria vocat. Vol. III. pag. 152. Cf. SAVIGNY, Vol. I. pag. 207.

(2) MAURER pag. 12 de vassallis, *Romanis* et *salicis* judicibus, aliisque scabinis sermo etiam est in diplomate anni 968. cf. SAVIGNY Vol. II. p. 106.

classe erat superstes (1). Hi vero licet a Rachimburgis ut apud Longobardos vasalli ab Arimannis distinguerentur (2), et aliquo sensu minus liberi essent quam arimanni et Rachimburgi, in multis tamen in meliori conditione erant e. g. in compositionibus sive mulctis, et hinc etiam ob hominem Romanum convivam Regis occisum, licet compositio minor solveretur quam ob Francum occisum qui erat in truste Regis, major tamen hæc compositio erat ex lege salica quam ob Romanum possessorem aut tributarium, adeoque quam ob Francum Rachimburgum occisum (3). Ex his aperte patet etiam Antrustionum privilegia participasse Romanos, quin ea re Franci fierent, alias enim ob Antrustionem Francum et Romanum compositio æqualis esse debuisset.

§. 7.

Ex his quæ adhuc de Romanorum provincialium conditione sub regum barbarorum imperio generaliter atque speciatim de Belgarum sorte sub Francorum dominatione diximus, patet, eos non solum *tributarios* fuisse, sed etiam Roma-

(1) Savigny I. pag. 186, paulum dissentit Meyer pag. 101 sqq.

(2) Savigny I. pag. 165.

(3) Lex salica tit. XLIV. § 6, 7, 4, 15.

norum nomine inter *Rachimburgos* atque *antrustiones* esse potuisse, et ut certum est in comitum placitis eos judices fuisse, ubi de homine Romano erat judicandum, æque ac homines Franci erant judices ubi de Franco judicabatur, ita etiam fortasse in ipsis placitis majoribus præside rege habitis suffragia ferre potuerunt non solum ubi de homine Romano judicando, sed etiam ubi de legis Romanæ præcepto mutando agebatur, adeoque ubi commune omnibus subditis jus constituebatur, eos suffragia tulisse verisimile est, præcipue si verum est, quod aiunt, Francos in regionibus Belgicis sedes suas collocasse adjuvantibus Belgis ipsis, quibus *præsidum Romanorum* imperium intolerabile videri poterat, licet *morum Romanorum* imperio paulatim subjecti non solum libenter legibus Romanis obtemperarent, sed etiam penitus Romani facti essent. Hoc eo verisimilius est, cum præsides provinciarum Romanarum plerumque non ipsi in provinciis populares, et interdum in provinciales admodum crudeles essent, atque reliqui quoque magistratus imperiales tam civiles quam militares non solum sordidis concussionibus eos vexarent, sed etiam bellis continuis cum populis germanis gravissime onerarent. Quare etiam plurima eorum quæ ad publicum statum provinciarum ad jus-

titiæ administrationem per præsides, ad militiam et fiscalem administrationem spectabant, post Germanorum occupationem abolita et iis institutiones judiciariæ germanicæ, aliaque nova instituta politica militaria et fiscalia substituta sunt. In pagos descriptæ terræ Belgicæ ut aliis provinciis occupatis Comites præpositi iisque præter alios tanquam magistratus minorum vicorum centenarii additi sunt (1). Contra provinciales legis Romanæ nomine non solum jus privatum Romanum retinebant, sed etiam aliquatenus rem publicam Romanam in municipiis, adeoque ut lingua Romana in omnibus fere ex provinciis Romanis constitutis regnis cum barbarorum lingua commixta novis ubique linguis ita etiam in omnibus his regnis institutiones Romanæ novis institutionibus fundamento erant, quæ usque ad nostram ætatem permanebant. Summum est JCto Savigny in hac re demonstranda meritum, nuperrimè apud ipsos Anglos Spence idem demonstrare connatus est in jam laudato opere, multa etiam in hac re delucidavit noster Meyer, sed opus de simili argumento nuperrime in Ilalia

(1) Raepsaet, Vol. I. pag. 263 sqq. Atque in libello : reponse à l'opinion de Mr d'Otrenge, Brux. 1818, pag. 77. Longe aliter vero hanc rem explicat Savigny, Vol. I. pag. 223 sqq. Cf. idem pag. 247.

editum auctoris DE SIMONI (1), eam historiæ lucem novam nondum participasse videtur, quam tamen SAVIGNY ipse magnam partem ex scriptis atque peregrinationibus Italicis nobis adtulit. Vir clarissimus vero ex innumeris documentis pro Gallia quoque probavit ibidem rem publicam municipalem Romanam post imperium finitum diu permansisse fere immutatam. Non solum enim magistratuum Romanorum ut *defensoris*, *principalis* atque *curiæ* et *curialium* frequens fit in diplomatibus regnum Francorum spectantibus, mentio, usque ad seculum nonum, sed etiam ex his diplomatibus eadem adhuc ut sub imperio Romano horum magistratuum munera fuisse, patet (2). Monet tamen SAVIGNY sub nomine *Consulis* cujus etiam in antiquis monumentis fit mentio (3), *Comitem* germanum interdum esse intelligendum, et similiter *Consules* recensentur in antiquissimis privilegiis municipiorum germanicorum eorumque ipsorum, quæ

(1) SAGGIO critico storico e filosophico sul diritto di natura e delle genti e sulle successive leggi istituti e governi civili e politici opera postuma, Milano, 1822, 4 vol.

(2) Cf. SAVIGNY, I. 262. sqq. -- Præcipuè laudat vir Clar. diploma anni 804 quod continetur in MARTÈNE et DURAND, veterum scriptorum et monument. amplissima collectio, Paris 1724-1733, 9 vol. fol. T. I, pag. 54, 56, 57, 58.

(3) E. g. Gesta consulum Andegavensium in DACHERY spicilegium, Paris 1723, 3 vol. fol. T. III. p. 234.

nunquam Romana erant, quin eos pro *duumviris* Romanorum habere possimus.

Potius Consules posteriori ætate *Romani decuriones* dicebantur, vel ipsi *scabini germanici* (1); mox enim in municipiis ipsisque iis qui sub imperio Romanorum jus italicum habebant, præter rempublicam Romanam instituta germanica oriri debuerunt, et ad hæc post mutatum antiquum ordinem judiciorum germanicorum *scabinorum collegium* necessario pertinebat (2), quod judicabat, judicium exercente *Comite* (3) aliove magistratu. Serius, ut observat SAVIGNY, ex utriusque reipublicæ conjunctione in diversis municipiis nova communitas orta est. Cæterum non est omittendum comitem habuisse jurisdic-

(1) Cf. Præcipue de hac re GAUPP de origine municipiorum Germanicorum, Jenæ 1824, pag. 92 et 198 sqq.

(2) SAVIGNY, I. pag. 252.

(3) Majores saltem civitates proprium habebant comitem qui tanquam *Comes Burgensium* comes civitatis (burg grave) idem quod *Comes Pagensium* comes pagorum (Gau grave) munus exercebat. Cf. GAUPP l. l. pag. 259. — Præfatio pag. VIII. — In Belgicis tamen municipiis posterius ii qui *Burggrave* dicti sunt magistratus erant multo inferiores. Cf. RAEPSAET, vol. II. pag. 333, 370 sqq. Simili modo etiam quondam vox *Comes Palatinus* dignitatem admodum diversam indicabat et inter comitem palatinum majorem et minorem maxima erat differentia. *De Comitibus civitatum et pagorum* etiam quasi æqualibus sermo est in præfatione legis Burgundicæ. Cf. SAVIGNY, Vol. I. pag. 234 et 242.

tionem majorem ea quam habuerunt magistratus municipales ipsique ii, qui quondam duumviri dicti sunt. Duumviri enim ultima imperii Romani ætate municipalibus ipsis non nisi in levioribus causis jus dicere poterant, in majoribus præsides juris dictionem habebant.

In præsidis locum *Comites* successerunt qui itaque municipalibus in causis gravioribus jus dicebant, et reliquis incolis municipiorum etiam in levioribus. Hinc mirum videri non potest, in placitis Comitum in municipiis habitis præter alios etiam *Scabinos Romanos* nominari, qui ex Savigny sententia originarie *Decuriones Romani* erant, vel ex *Decurionibus Romanis* selecti, ut reliqui scabini e. g. salici ex *salicis Rachimburgis*. Hæc omnia egregie confirmantur ex antiquissimo statu publico Coloniæ Agrippinensis sub regibus Francorum. In hac antiqua Belgicarum regionum metropoli per longum tempus rempublicam Romanam præter novas institutiones germanicas mansisse egregie docuerunt vir. clar. Eichhorn in dissertatione de origine reipublicæ municipalis germanicæ (1), et Gaupp in jam laudato opere. Ex antiquissimis monumentis hi viri probaverunt seculo duodecimo

(1) Continetur in Savigny *Zeitschrift*. Vol. I. pag. 147-247. Vol. II. pag. 165-238.

et decimo tertio summam jurisdictionem Coloniæ habuisse *Comitem civitatis*, cum quo ex Caroli magni institutione in judiciis consedit *collegium Scabinorum.*

Præter Comitem qui nomine imperatorum jurisdictionem exercuit mox jurisdictio exerceri cœpit nomine episcoporum ab *advocato* ecclesiæ, et tam hujus quam illius loco sæpius *judex* eo munere fungebatur, qui cum Scabinis non confundendus est. Insuper erant *magistri civium* et *officiales* qui dicebantur *die Richerzecheit*, hi *officii* vel *fraternitatis* nomine quoque comprehendebantur (1). Nullum dubium est hac ætate *magistros civium* fuisse eosdem ac *Duumviros* tempore Romanorum, officiales eosdem ac *decuriones vel Curiales* prioris temporis, atque *officium*, *fraternitatem* id quod tempore Romanorum *ordinem*, *Curiam.*

Duumviros antiquitus Colonia habuit, quia teste Paulo ipsi *jus Italicum* erat, et cur *decurionum* ordo postea dictus fuerit *Richerzecheit*, explicari potest ex voce antiqua *Rachimburgorum.* Ut enim hi, ita etiam decuriones cives erant *optimo jure*, et ipsis ultimis temporibus

(1) Eichhorn distinguit inter *officiales fraternitatis* et *fraternitatem ipsam.* Gaupp hanc ab illis non distinctam fuisse contendit.

imperii Romani adhuc tanquam tales considerabantur, licet ut notum est ad decurionis munus accipiendum fere cogi debuerunt municipales. Retinebant nihilominus decuriones semper honorem sive majorem existimationem licet quidam quasi pœnæ causa decurionum munus suscipere deberent quibus tamen cum munere non simul honor tributus est.

Ut vero quondam duumviri a decurionibus, ita etiam Coloniæ ex monumentis seculi decimi tertii magistri civium ex consuetudine ab antiquo servata eliguntur a fraternitate quæ Richerzecheit vocatur, sive ab officialibus Richerzechheit. Eodem diplomate dicitur « officiales magistris civium, quos quolibet anno eligunt non possunt quod sit in præjudicium jurisdictionis Archiepiscopi conferre. » Præterea magistri civium et officiales ea ætate adhuc eadem fere officia atque jura habebant, quæ erant duumviris atque curialibus in municipiis Italicis iisque quæ jus italicum habebant sub Romanis. Ili officiales etiam a dimidio seculi decimi tertii consules dicebantur, et a scabinis distinguebantur quibus postponi solebant. Progrediente vero ætate inde a seculo decimo quarto scabinis præponebantur, et sic posterior libertas reipu-

blicæ Coloniensis aliquatenus ex republica ejus Romana prodiisse videtur (1).

Simili ratione regionum belgicarum altera metropolis *Durocorturum* (2) sive civitas Remorum, quæ verosimiliter etiam sub imperio Romanorum jus Italicum habuit antiquam suam rempublicam conservavit sub Francorum imperio et usque ad recensissimam ætatem perlata est traditio antiquissimæ illius reipublicæ semper conservatæ. Hac traditione seculo duodecimo civium petitiones fundatas esse, vir clar. SAVIGNY ex antiquo monumento refert (3), cujus verba hæc sunt : « in urbe Remensi orta seditio,
» et primo quidem archiepiscopo omnem hu-
» militatem exhibuerunt parati duo millia libra-
» rum... conferre in ærarium ejus, dummodo
» eos jure tractaret et legibus vivere pateretur
» quibus civitas continue usa est a tempore
» Sti Remigii Francorum apostoli. » Postea per edictum regium jurisdictione municipali sublata seculo decimo sexto, civitas Remorum propter summam juris sui antiquitatem privilegium suum

(1) Præcipue de hac re videatur GAUPP l. l. Cf. MITTERMAIER, principia juris Germanici communis edit. 3. Landshut. 1827, § 24.

(2) Cæsar II. 44.

(3) Ex epistola JOANNIS SARISBERIENSIS. Bibl. Max. Patrum Lugd. Tom. XXIII. pag. 495. Cf. SAVIGNY I. pag. 275.

conservavit, et anno 1568 decretum est. « » que les echevins de la ville de Reims joui» raient de leur jurisdiction non obstant l'édit » de Moulins, ainsi qu'ils avaient fait ci-devant » parce qu'il fut reconnu qu'il ne se devait éten» dre sur les villes de cette qualité, qui en » jouissaient avant que la France fut en royau» me. » Collegium scabinorum hujus urbis nihil aliud quam antiquam curiam Romanam esse, ea ætate contendebatur, et hoc novum nomen sane curia sive senatus facile loco antiqui obtinere poterat, cum etiam sæpius ut jam dictum est, decuriones antiqui, nomine scabinorum Romanorum in diplomatibus inveniantur. Multi scriptores gallici hanc sententiam de non abolita Romana Republica municipiorum sub regno Francorum minus caute adoptantes aliorum dubia excitaverunt. Mediam viam ingressus SAVIGNY testimoniis historicis fretus eo tutius ivit.

Similiter fortasse in tertia Belgarum regionum antiqua metropoli Augusta Trevirorum respublica Romana mansit sub Francorum imperio, hujus vero rei testimonia certa desunt. Consules quidem anno 1104 in civitate Trevirorum exstiterunt (1). Sed jam dictum est in pluribus ci-

(1) EICHHORN l. l. Vol. II. pag. 173. et HONTHEIM histor. Treviror. diplomatica. Tom. I. pag. 483.

vitatibus quæ nunquam sub imperio Romano erant, eosdem qui prius scabini dicebantur posterius consules appellatos esse. Iidem ab initio in municipiis tanquam boni viri, optimi cives, nominatissimi cives judicum officio fungebantur, et cum posterius disciplinam publicam municipii administrandam simul impetrarent consilii nomine veniebant (1). Nec consules Trevirenses anni 1104 pro Duumviris Romanis sumi possunt, ne hoc quidem certe dici potest num ut colonienses ex decurionibus Romanis an ex scabinis Germanicis prodierint. In antiquissimo privilegio quo libera respublica civitati Friburgensi anno 1120 data est, *secundum jura Coloniæ*, etiam consules instituti sunt, sed ex sententia recentissimi investigatoris rei municipalis Germanicæ hi *consules* non ad exemplum *officialium* Coloniæ sive antiquorum decurionum, sed potius *scabinorum* qui Germanicæ originis erant instituti sunt, licet posterius etiam officiales Colonienses adsumerent consulum nomen (2). Notatu tamen dignum est, consules Friburgi multa habuisse munera et jura, quæ originarie germanici scabini non habebant et sic saltem in his consulibus aliqua institutionum germanicarum et romanarum

(1) Cf: Eichhorn II. pag. 167. Gaupp, pag. 92 et 198.
(2 Idem l. l. et pag. 381.

conjunctio obtinuisse videtur ut in pluribus aliis civitatibus germanicis post romanum imperium demum constitutis. Exstat quoque antiquissimum diploma quo administratio disciplinæ publicæ civitati quæ eam antea nunquam habuit in Alsatia concessa *libertatis Romanæ* nomine indicatur, et apud Treviros mansisse rempublicam Romanam ex aliis quoque causis verisimile est (1).

Cum, quod infitias iri nequit, tres civitates quæ quondam sub Romano imperio regionum belgicarum metropoles erant, rem publicam Romanam aliquatenus conservarent, verisimiliter in reliquis civitatibus belgicis etiam quædam instituta Romanorum remanebant. Jam dictum est in municipiis quæ jus Italicum non habebant ideoque nec *Duumviros* neque generaliter magistratum municipalem cum aliqua jurisdictione, posteriori ætate *defensores civitatis* institutos esse, qui in illis municipiis vice magistratuum municipalium fungebantur. Eorum institutio *seculo quarto* obtinuit, ex sententia viri Clar. Savigny, licet jam antea homines singula negotia municipiorum gerentes ita adpellarentur (2), hinc non Cicero ut dicit Raepsaet (3) eos

(1) Eichhorn II. pag. 206-216.

(2) Vol. I. pag. 64.

(3) Vol. I. pag. 170 sqq. Cicero de finib. Lib. III. cap. 22

defensores nomine *magistrorum populi* indicare poterat. Potius sub hoc verbo dictatorem indicare voluit CICERO, atque in loco laudato a viro Clar. RAEPSAET nihil aliud dicitur quam verum sapientem rectius appellari regem quam TARQUINIUM rectius magistrum populi quam SULLAM, eum enim dictatorem esse (i. e. quasi bonum et honestum dictantem). Neque vero propterea rejicienda est viri Cl. RAEPSAET sententia, civitatum belgicarum magistratus qui *bourgmestre* sive *borgemeester* dicuntur, a defensoribus civitatum originem ducere.

Non solum enim adhuc, ut jam diximus seculo nono in Francorum regno defensores civitatum exstiteruut, quod ex monumentis probatur, sed etiam Coloniæ adhuc seculo decimo tertio duumviri Romani exstiterunt *magistrorum civium* nomine, hinc hoc nomen facile in aliis municipiis ad eos magistratus transire poterat, qui ibidem *Duumvirorum loco* erant. Præterea ut docet RAEPSAET non solum burgimagistrorum electio, sed etiam eorum munus cum munere atque electione defensorum magnam similitudinem habebant. In quibusdam civitatibus denique illi *voochten* sive tutores dicebantur, et antiquitus aliquam *jurisdictionem* habebant, in Belgio Austriaco pastea sublatam. Quod si quis

dixerit ejusmodi magistros civium in urbibus quoque fuisse quæ nunquam municipia Romana erant, adeoque in regni nostri provinciis septentrionalibus in quibus sane nunquam defensores civitatum a Romanis constituti erant, eos potissimum suam auctoritatem conservasse, illa sententia non fundamento suo privabitur: nam ut e. g. principes germanici in privilegiis urbibus concessis antiquissimis iisdem rem publicam *Secundum jura Coloniæ* dederunt, ita etiam principes belgici fortasse in privilegiis antiquissimis quæ concesserunt urbibus nunquam Romanis, *aliorum municipiorum prius Romanorum* rem publicam imitati sunt. Fortàsse etiam ipsa res publica Coloniæ tanquam antiquæ metropolis regionum belgicarum atque urbis juris Italici pluribus privilegiis donatæ singulorum municipiorum belgicorum reipublicæ atque antiquissimis eorum privilegiis exemplo erat, uti posteriori ætate academia Coloniensis et Parisiensis ei quæ Lovanii instituta est. Notandum adhuc est, quod dicit RAEPSAET (1) a *duumviris* omnes magistratus municipales adeoque et *defensores* nominatos esse antè Constantinum, ad quod probandum L. 3. C. *de defensor.* civit. laudatur, minime autem hoc verum est. Non solum erant

(1) Vol. I. pag. 171.

defensores in civitatibus quæ *Duumviros non habebant*, sed etiam *decuriones* regulariter magistratus municipales eligebant, quod vero in defensoribus non obtinuit, qui ut patet ex L. 1. C. Theod. *de defensorib.* ab omni civitate eligendi erant.

Quod ad *decuriones* attinet quorum ordo, ut jam diximus, in iis quoque civitatibus exstitit quæ nec jus italicum habebant, nec duumviros, putat vir Cl. RAEPSAET (1) ex iis originem ducere eos qui in consuetudinibus belgicis *raaden*, *conseil municipal*, *collaces* dicantur. Sed jam superius dictum est etiam in municipiis Germanicis medio ævo *consilium* sive *consules* plerumque numero viginti quatuor exstitisse, quorum origo non erat Romana. Contra nec *collegium scabinorum* ubique germanici originis erat et in civitate Remorum illud ex decurionibus Romanis ortum fuisse videtur (2); fortasse etiam in Belgio singulorum municipiorum respublica posterior ex conjunctione reipublicæ Romanæ et institutionum germanicarum orta est (3). Notatu dignum etiam est, quod notat

(1) Vol. I. pag. 167.

(2) SAVIGNY I. pag. 275.

(3) Notari adhuc possunt quæ RAPSEAET vol. III. pag. 158 refert de munere *scabinorum* conjuncto cum muneribus *mu-*

vir clarissimus Meyer, in antiquissimo privilegio urbi Tornacensi concesso anno 1187,

nicipalibus eorum quos vocat *jurés administrateurs* et *juges de police*. Hi prius à scabinis distincti erant ex sententia viri Cl. et eorum principali munere cum munere scabinorum conjuncto, ii in privilegiis a seculo duodecimo concessis solummodo tanquam *raaden et conseils de commune* nominantur. Contrà videantur ea quæ à Savigny I. p. 252 dicuntur de *scabinis Romanis* qui iidem ac *decuriones* ab initio erant ex ejus sententia, a quibus vero postea proprium *collegium scabinorum* sive *collegio dei giudici* in civitatibus Italicis disjunctum est atque ab *administratione municipali* diversum exstitit, ut in germania *die schoeppen stuehle*. Cf. ea que de consuetudinibus Gandavensibus dicit Raepsaet III. pag. 290 de distinctione inter *echevins de la Keure* et *echevins des Vierschaaren*. An fortasse illi erant scabini selecti ex *Curia* hi selecti ex *Scara* i. e. illi ex *decurionibus* originis Romanæ, hi ex *Rechimburgis* originis Germanicæ ? -- Sæpius etiam voces *Keurmannen*, *Choromanni* in antiquis monumentis leguntur, qui tanquam *Jurati* teste Raepsaet distinguuntur a *Scabinis*. Cognationem cum illis habere videtur vox Anglica *Jurymen*, alii illos nominant *pares Curiæ*, *Curiales* hoc tamen non in sensu Romano. Fortasse interdum ii Keurmannen dicebantur, qui Jure Curiali vivebant, et sic a Rachimburgis distinguebantur. In judiciis Drenthinis superioribus ab eo qui Comitis vice fungebatur habitis tamquam Judices *Jurati* judicabant ii qui *Etten* dicebantur, in inferioribus judiciis præside sculteto habitis alii qui dicebantur *Keurnoten* et esse debuerunt *Eigenerfden*. Fortasse inter hos est illos differentia erat similis ei quæ in consuetudinibus belgicis posterioribus fit inter *welgeboren heeren* et *Huysmannen* Cf. Raepsaet III. pag. 140. Inter hos vero idem interesse videtur ac inter *Rachimburgos vel bonos homines* et *Ministeriales vel Curiales* in sensu juris Germanici. Voces *Keurnoten*, *Eigenerfden* quo-

contineri verba : « consuetudines quas dicti Burgenses tenuerant ante institutionem communie (1). »

que in memoriam vocant vocabula quæ in legibus Anglorum antiquioribus et recentioribus occurrunt *scyre gemotus*, *freeholder*. — Ceterum num ii qui Gandavi dicebantur Choromanni et scabini, sive *échevins de la Keure* et *échevins des vierscharen*, comparari possint cum judicibus Drenthinis qui *Keurnoten* et *Etten* dicebantur dubitandum est. Cf. Vos de jud. Drenth. pag. 33. et 48.

Cum *Choromannis* qui Gandavi et in aliis urbibus Belgicis antiquitus exstabant potius aliquam similitudinem habere videntur ii qui in Lusitania dicuntur *Vereadores*. Eos in Institut. Jur. Civil. Lusitani Mellius Freirius Vol. I. pag. 19. vocat *decuriones* œconomicam et politicam jurisdictionem habentes, ordinariorum judicum adjutores adque consiliarios. Præter eos aliquam jurisdictionem judices dicti *da Vintena* habere dicuntur a laudato auctore, qui eosdem *pedaneos* adpellat. Ii cum *Scabinis* qui præter Choromannos in Belgicis consuetudinibus nominantur comparari posse videntur, fortasse etiam *judices da Vintena* id quod *judices ex Vicineto* significabat originarie, et ii qui quondam cum magistratibus judicabant ipsique scabini *vicini* sæpius esse debebant, sive ex *Vicineto*, ut in Anglia *jurati*. Cf. Raepsaet Vol. I. pag. 280. Præter pedaneos et decuriones judices *ordinarii* et *foranei* in singulis locis in Lusitania exstant qui proprie jurisdictionem exercent. Hi foranei dicuntur quia aliunde adsumuntur, et a Rege electi, contra illi ab ipsis loci incolis electi dicuntur ab auctore superius laudato. Conferri cum his omnino merentur quæ Raepsaet refert de *forains, Franen Vronen, Azingen*. Vol. I. pag. 513. Vol. III. pag. 137. Mellii Freirii histor. Jur. Lusit. pag. 91.

(1) Institut. jud. vol. IV. pag. 36.

Vocem vero *consuetudines* etiam de institutionibus *Romanæ* originis intelligi posse, egregie docet Raepsaet (1) tam ex eo quod in lege Burgundica tit. LX cap I. de *consuetudine* Romana et Barbara sermo est, et in bibliotheca Sancti Berthini opus sub titulo *consuetudinum* L. Romanarum anno 1104 indicatum erat.

§. 8.

Summi post regem magistratus, qui et Comitum sive præfectorum militarium Romanorum, et præsidum provinciarum potestatem aliquatenus conjungebant, erant diversorum pagorum Comites qui homines liberos ad bellum ducebant, et in judiciis sive pagorum placitis jurisdictionem exercebant, atque licet non ipsi judicarent, exactionem tamen latæ sententiæ curabant.

Comes in lingua Teutonica *Graaf* seu *Graf* vocabatur, aut latine *Grafio*. Dubium non est quin Comites fuerint iidem ac Grafiones; utraque vox enim promiscue usurpatur in lege Salica Ripuariaque : præterea in ipso contextu legis Ripuariæ sub titulo qui « de eo qui *grafionem* interfecerit » inscribitur, leguntur verba :

(1) Vol. II. pag. 89.

« si quis judicem fiscalem quem *comitem* vocant interfecerit. » Comites isti seu grafiones, regibus ipsis forte antiquiores, principio in comitiis populi eligebantur, paulo post autem, invalescente regia potestate, ab arbitrio regum pendebat eorumdem nominatio (1).

Præerat comes multis magistratibus inferioribus qui vel in omnibus jurisdictioni ejus subjectis locis seu in designata quadam regione ejus vice fungebantur; mentionem faciunt vetera diplomata præcipue *vicecomitum*, *vicariorum* et *centenariorum* de quibus ultimis sermo est in lege salica, ad quos etiam locus Taciti (2) spectare videtur, licet in eo vox centeni minime centenarios ipsos significet ut credit Raepsaet (3) neque comites ibidem nominati pro comitibus posterioris ætatis habendi sunt. Tacitum hoc loco de centenis comitibus loquendo fortasse liberos homines qui in principum placitis judicabant et comites de quibus ipse ulterius loquitur et ex quibus antrustiones et fideles posterioris ætatis, et nexus feudalis orti dicuntur, *confudisse* putat Savigny (4).

(1) Cf. Savigny I. 222 — Extrait dans les annales de legisl. Gen. p. 220.

(2) De morib. German. Cap. 12.

(3) Reponse à l'opinion de M. Dotrenge pag. 77 Cf. Savigny I. p. 231.

(4) Vol. I. pag. 223 nota. Cf. Tacitus cap. 16 13 seqq.

Idem etiam *Tunginos* eosdem ac centenarios fuisse credit, cui vero sententiæ aversatur Raepsaet (1). Notatu dignum est ultimis imperii Romani temporibus munus militare centenarii apud Romanos quoque exstitisse (2), ita ut tam pagorum quam Vicorum præfectis Germani nomen præfecti Romani *militaris* dedisse videantur. Præter nominatos magistratus post invasionem populorum germanicorum in regnis ab iis fundatis alii quoque inveniunt, ut *sculdacii*, *advocati*, *sculteti*, *vicedomini* quorum tamen aliqui vel jurisdictionem peculiarem ut ecclesiasticam, feudalem antiquissimis jam temporibus ortam exercebant, vel tantum magistratus ordinarii nomen peculiare indicant, ut e. g. sculdascii apud Longobardos iidem erant ac Centenarii apud Francos.

Apud Longobardos nec nomen Grafionis in usu, eadem vero dignitas *judicis* nomine apud eos constituta erat, ut etiam in lege salica grafio *judex fiscalis* dicitur, et apud Romanos quoque ultima ætate præsides provinciarum *judices ordinarii* dicebantur. Ceterum, ut jam diximus, licet comites etiam judices adpellarentur, vel ita eorum vices gerentes dicerentur,

(1) Vol. I. pag. 280 Cf. Savigny. I. 231.
(2) Vegetius De re Militar. II. 8.

neque hi neque illi ipsi judicabant, quod mirum videri non potest, cum apud Romanos quoque is qui præerat judicio publico licet ipse non judicaret *judex quæstionis* tamen diceretur (1).

Ceterum monendum est ipsam dignitatem Comitis homini Romano tribui potuisse ut barbaro, et non solum in præfatione legis Burgundicæ de Comite romano et barbaro, tum de judice romano et barbaro sermo est, sed etiam inter triginta nomina comitum quæ huic legi subscripta sunt, unum saltem nomen originis Romanæ legitur, quod magis adhuc adversari videtur opinioni Meyeri de Romanorum sub Barbarorum imperio, conditione.

Centenarius in suo vico ut in pago Comes potestatem civilem et militarem exercebat, ejus jurisdictio tamen ut jurisdictio vicarii tantum ad negotia minora spectabat, et graviores res in Comitum placitis solis poterant judicari ut patet e. g. ex capit. III anni 812 § 4. Lex Longobard. Caroli M. § 69. Nec quis credat a magistratibus istis inferioribus ad comitem fieri potuisse ad pellationem, nondum nota erat hæc instituo veteribus rudibusque germanis; contra comes ipse

(1) Cf. Savigny I. pag. 214 — Cf. Cicero pro Cluent. 54. L. I. pr. et § 1. D. ad leg. Cornel. De Sicar. cum L. 1. §. I. D. ad leg. Jul. Majest. L. 81. D. de judiciis.

omnes causas judicare poterat ita ut eo præsente non valeret auctoritas centenarii : similiter præsente *rege* cessavit jurisdictio Comitis, et per suos *missos* ille progrediente ætate in omnibus pagis jurisdictionem extraordinariam exerceri jussit.

Ante Caroli magni tempora cuivis pagi vel centenæ bono homini in placitis comitum et centenarum judicare licebat; in pagis certis diebus anni ordinaria placita habebantur ad quæ, quin vocarentur, omnes liberi homines venire debuerunt; poterant vero comites insuper extra ordinem judicia habere et ad ea convocare Rachimburgos. Progrediente ætate tamen, regnorum novorum subditis ex diversorum populorum commixtione ortis, magis in dies deficere cœpit cura rerum publicarum ideoque conventus publici sæpe sufficientibus judicatoribus carebant, quare huic rei medendum esse videbatur, et primum Carolus Magnus Rex instituit *Scabinorum* ordinem, quos ab Rachimburgis seu bonis hominibus distinguendos esse jam diximus. Voluit enim ille Rex ut ex pagensibus seu liberis hominibus pagi quidam speciatim ad eam rem selecti, munere judicis perpetuo (1) fungeren-

(1) H. e. *perpetuo* in eo sensu in quo apud Romanos de *perpetuis* quæstionibus sermo erat, postquam recessum est ab antiquo more ex quo non nisi in Comitiis de facinoribus majoribus judicium institui poterat.

tur, atque obligarentur ad judicandum quotiescunque eos ad judicium vocaret vel Comes vel inferior magistratus (1).

Statutum igitur est ut *septem* saltem numero forent scabini qui adesse tenerentur in placitis *extraordinariis* quæ præter *generalia* placita locum habere possent per annum expressa ad id facta convocatione. Neque tamen sola hujus novæ institutionis causa censenda est diminuta pagensium inclinatio ad publica munera gerenda, etiam circumscribenda videbatur nimia potestas nimiumque arbitrium comitum quòd sæpius quam par erat Rachimburgos convocabant ut nimirum nonnullos invenirent deficientes ideoque ad mulctam condemnandos. Hinc constitutum est « ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur exceptis scabinis ac vassis Comitum, nisi qui caussam suam quærere debet ac respondere » ut dicitur capit. II. anni 809. art. 5. Similia leguntur in capit. I. anni 809. art. 13. in lege Longobardica Caroli Magni. 69. cap. V. anni 819 art 14. capitul. Lib. IV. cap. 57 et præcipue notatu dignus est

(1) Nam etiam in Centenariorum placitis ut in Comitum vel Missorum regiorum judiciis scabini judicabant; quod contra auctores operis : *histoire du Languedoc* I. pag. 438 probavit ex ipso capit. V. anni 819 cap. 14. Maurer in op. laud. pag. 65.

locus ex capitulari Ludovici Pii anni 829 (1) ubi dicitur : « de vicariis et centenariis qui magis propter cupiditatem quam propter justitiam faciendam sæpissime placita tenent, et exinde populum nimis affligunt....... ut videlicet in anno tria solummudo placita generalia observent, et nullus eos amplius placita observare compellat. » — Ex hoc simul patet adhuc post Carolum M. quosdam, negligentes ejus præceptum, sæpius quam par erat ad placita generalia convocasse omnes liberos homines, tum post ipsam legem Caroli Magni ad placita generalia ter per annum sine convocatione speciali habenda omnes liberos ut antea venire debuisse. Patet amplius non solum comites sed etiam vicarios et centenarios ejusmodi placita generalia habere potuisse, et in his cuivis libero, ut antea, judicandi potestatem fuisse, jam superius dictum est.

Ad placita vero quæ præter generalia habenda erant, convocatione a comite facta, post scabinorum ordinem institutum hi soli officium veniendi habebant, reliqui liberi *venire* quidem poterant, num verò *judicare*, dubium est. Videntur quoque in singulis casibus extraordinariis

(1) Cf. BALUZ. I. pag. 671. cap. 5. et SAVIGNY I. pag. 192. nota.

postea adhuc Comites potuisse placita generalia convocare, ita ut ad ea veniendi cuivis libero homini esset officium (1). Neque hoc silentio præmittendum est scabinos non fuisse ita communes totius pagi judices, ut ab iis omnes judicari possent, multo potius judicium non nisi per *pares* fieri poterat, ita ut ad hominem Romanum judicandum scabini Romani, ad barbarum vero judicandum scabini Barbari convocandi essent, quod manifeste docet diploma aliquod jam superius relatum. Adeoque de aliquo *vasallo* non nisi per vasallos judicari poterat (2) et cum post ortam jam propriam jurisdictionem feudalem dominus vel senior feudi vasallos convocare vellet, ex hujus necessitudinis natura omnes fideles qui in ejus truste erant adparere debuerunt; etiam post constitutionem Caroli M. comes

(1) Capital. anni 857, 858. BALUZ. II. pag. 89, 99.

(2) De ministeriali per ministeriales, de Rachimburgo per Rachimburgos judicandum erat. Hinc in consuetudinibus Belgicis tempore posteriori scripto consignatis legitur « metten welgeboren mannen zal men welgeboren mannen verwinnen, ende een huysman sal men verwinnen met een huysman». Hoc antiquissimum juris Germanici præceptum non exculto jure feudali demum ortum est, et *legale judicium parium* idem significare videtur ac *judicium per legem terræ* — Contrariam sententiam amplexus est MEYER Vol. II. pag. 170. not. 1. — Cf. RAEPSAET III. pag. 140. Gazette des tribunaux 7. Mars 1827. N : 454. ubi de antiquissimo privilegio Normannis concesso tractatur.

quotiescunque vellet de re feudali placitum habere, omnes suos vasallos ad id convocare poterat, et non solum selecti vel scabini, sed omnes adparere debuerunt, undè in supra relato capitulari dicebatur : *nemo ex liberis hominibus* ad placitum (scil. extraordinarium) venire cogatur, exceptis *Scabinis et vasallis* (1).

Ceterum placita extraordinaria quæ ter per annum certis diebus habenda erant, quia omnes liberi venire debuerunt, generalia placita dicebantur. Hoc adhuc in Gallia sub Ludovico septimo obtinuit, ut ex diplomate anni 1145 patet cujus hæc sunt verba : præpositus autem atque vigerius quotiescunque volebant, *halbannum submonebant* et villanos sese redimere coercebant, de quo quoque præceptum ab ipso est, ut illa præceptio halbanni remaneat, et *halbannum tamen ter in anno* fiat termino competente sine ulla redemptione, ne rustici sua negotia amittant, et hoc consilio bonorum virorum ipsius civitatis » (2). False sub *halbanno* in hoc loco multi auctores et ipse Ducange aliquam speciem ejus quod *corvée* quondam dicebatur,

(1) Vasalli Romani et Salici tanquam judices præter scabinos placito Arlensi quoque aderant anno 968 habito. Videatur Savigny II. pag. 107 not. 69.

(2) Ordonnances de la troisième race. Vol. I. p. 9.

intelligebant, sed rectius Savigny (1) contendit, in illo loco sermonem esse de generalibus placitis pagi ad quæ omnes liberi venire debuerunt. Ipsa vox *vigerius* id quod *vicarius* indicat hoc diplomate tantum renovari constitutionem quæ in laudato superius Ludovici Pii capitulari continetur; alias et hoc ex eo patet, contra constitutiones Ludovici et Caroli Magni sæpius ac justum erat ad placita generalia omnes liberos convocatos esse usque ad seculum duodecimum. *Halbannus* itaque nihil aliud quam varia lectio vocis Heerbani est, ut jam superius diximus vocem *Allemanni* originarie fortasse idem quod *Arimanni* significasse. Ipsum *placitum* adpellari *Heerbannum* mirum videri non potest, cum iisdem quibus ad *heerbannum* accedendi obligatio, etiam ad *generalia placita* veniendi erat necessitas. Hoc etiam confirmat id quod superius de origine vocis *virscare* diximus, quæ originarie *virum scaræ* alias *scaramannum* indicabat, sive quemvis *Rachimburgum* qui ad *heerbannum* pertinebat, et hinc etiam ad *placita generalia* veniendi officio tenebatur. Ut itaque in Gallia pro *placito generali* serius dicebatur *halibanus*, ita etiam non solum in antiquissimis diplomatibus belgicis, sed etiam in recentiori consuetudinum scriptura vox *vierscha-*

(1) I. p. 192 not.

ren synonima est vocis *gaugedinghe*, sive vocis *generaalgeding* i. e. *placiti generalis*, *gau* enim, *go* germanice id quod pagus significat, unde *gograaf* id quod *graafio*, comes, pagi præfectus, et *gaudagh* i : q : dies ubi ad placita generalia omnes liberi homines ex pago convenire debuerunt. Progrediente ætate tamen horum dierum numerus minutus est, in antiquissimo privilegio dicebatur *in uno anno erit unum gauding*; serius vero cum omnia generalia placita in desuetudinem abierunt, denominatio ad placita extraordinaria ad quæ non nisi scabini venire debuerunt, transiit, hinc dicitur in consuetudinibus Teneramundanis anno 1629 scripto consignatis: « pour la conservation desdits droits les huit bancs des vierschares dudit pays de Dendermonde, sont tenus de comparaître tous les quinze jours par leur greffier ou autre en ladite ville en la *vierschare* ce que l'on nomme *gaugedinghe*. » In capitularibus etiam vox *scara* legitur in sensu cognato significationi vocis *heerban* e. g. « *scaræ quas prius de Italia jussimus pergere partibus avariæ* » (1).

(1) Cf. Raepsaet p. 505 sqq. Vol. I. In capit. anni 877. Caroli Calvi cap. 17 legitur *unus eorum qui cum eo scarriti sunt* et cap. 16. *mittant eum eo electos viros*. Hinc *scarritus* quasi *ex scara* electum significare videtur, et missi regii etiam *comites scariti* dicebantur. Scaritorum etiam mentionem facit

§. 9.

Huc usque diversas quæ apud Francos fuere civium classes examinavimus, atque conditionem Belgarum sub eorum imperio tam generaliter quam harum classium respectu, quædam præterea de re municipali et tandem de re judiciaria sub regibus Francorum disquisivimus; videamus amplius qui apud eos juris fontes obtinuerint, et quatenus iidem fuerint conservati. Primæ omnium quasi ipsorum Francorum jura popularia leges salica et ripuaria occurrunt quæ utraque potissimum in regionibus hodie belgicis obtinuisse videtur, quia plurimi in iis ex Francorum tam Salicorum quam Ripuariorum gente vivebant. Firmissima vir Cl RAEPSAET (1) et A. HEYLEN (2) suppeditaverunt argumenta per longum tempus in Gallia et Belgio utriusque legis usum durasse, ex instrumentis publicis et diplomatibus antiquissimis.

Anno 855 Folkerus Abbati Werdinensi quædam donavit, quæ in pagis Brabanticis et Fri-

l. l. RAEPSAET loquendo de septem scabinis judicibus vel juratis, qui cum magistratu equis vecti habuerunt circuitus qui *franche vérité, deurgaande waarhede, deurginga* dicebantur, sive *ommeganck, chevauchée, equitatura, berydingen.*

1) Vol. II. pag. 45.

(2) Responsio ad quæstionem ab Acad. Brux. proposit. cap. VI. pag. 21. anno 1783.

sicis sita erant, *illa secundum legem Ripuariam et salicam hæc secundum euna Frisonum.* Anno 867. quidam Erlebaldus bona sua obtulit, *excepta domo salica.* Anno 899. manumissio facta est *secundum legem salicam* Diesthemii. Anno 950. Fulquinus per festucam, *secundum legem salicam,* quædam bona confert Abbatiæ Gemblacensi. Anno 952. Otto M. legem salicam suis additionibus auxit, et in comitiis Stelensibus rem dubiam ut *leges Ripuariæ* dictant duello decidi jussit. Anno 1031. concilium Lemovicense sess. 2 legis salicæ auctoritatem invocat his verbis : *lex salica continet ut ubicumque servi dominus voluerit, potest relaxare.* Anno 1155. Ludovicus comes Lossensis prædium quoddam donavit Abbatiæ Averbodiensi *observata salicæ legis omni cautela.*

Otto Frisingensis quoque scriptor seculi XII refert : *lege quæ salica usque ad hæc tempora vocatur, Nobilissimi Francorum adhuc utuntur* (1).

Ex diplomate primo loco nominato effici posset, jam seculo nono in terra belgica legem salicam et Ripuariam ut Frisonum legem tan-

(1) Cf. Eichhorn histor. jur. et imper. German. ed. 2. Vol. II. pag. 146 observat causas in quibus adhuc de legis Salicæ usu postiriori ætate sermo sit maximam partem ad provincias Italicas et Burgundicas pertinere.

quam legem territorialem, quam vocant, in usu fuisse nec amplius tanquam legem personalem, quia prædia donantur ex diversis legibus, pro ut in diversis regionibus sita sunt. Potest tamen hæc res explicari ex eo quod refert SAVIGNY (1) quemvis quidem ex sua origine vel salica vel alia lege uti debuisse, quoad ea quæ in hac lege quasi publici juris erant, singula vero negotia ex alia lege inire potuisse. Ad hanc differentiam quoque spectant quæ dicuntur in aliqua lege Longobardica Luitprandi VI. 37. « Si unusquisque de lege sua descendere voluerit, et pactiones atque conventiones inter se fecerint, et ambæ partes consenserint, istud non reputetur contra legem, quod ambæ partes volontarie faciunt. »

Contra ex loco OTTONIS Frisingensis seculo XII lex salica adhuc in usu fuisse videtur solummodo inter *Nobiles*, et hoc aliquatenus quadrat cum eo quod multo posteriori ætate in Gallia adhuc de lege salica sermo erat, cum de *Regum* successione ageretur, et confirmare videtur sententiam eorum qui in aucto numero vasallorum et ministerialium causam ponunt diversarum consuetudinum localium ortarum loco legum antiquarum personalium. Apud Fri-

(1) Vol. I. pag. 128.

sones qui magis certis finibus contenti, minus cum aliis populis mixti per longum tempus nullum agnoverunt imperium eorum qui prius summi regum magistratus post regni Francorum dissolutionem in diversis territoriis summam potestatem nacti sunt, antiqua Frisonum lex sub Carolo Magno scripto consignata (1) fortasse mox tanquam vera lex territorialis considerari potuit, et quod certum est per plura secula per veras leges in populi comitiis sancitas ampliata est et culta. Eo magis mirum videtur in ea regione quæ hodie provinciam Frisiæ constituit, recentiori ætate fere nullas consuetudines obtinuisse, et jus romanum fere magis quam in Gallia meridionali vim habuisse, usque ad jus gallicum in ea introductum. Simile quidquam in singulari vico Brabantiæ obtinuit, qui nulla consuetudine locali, sed mero jure Romano utebatur ante jus gallicum introductum.

Quod adtinet ad legem Salicam, Ripuariam aliasque quæ in regno Francorum vim habuerunt tanquam leges singularum gentium personales, observandum est, eas quidem originarie tantum earum gentium mores antiquos fuisse,

(1) Verhandelingen van het Groninger genootschapp pro excolendo jure patriæ I. pag. 342. III. 46. 142.

inde a seculo quinto scripto consignatos, mox vero reges Francorum, qui non solum totius populi principes, sed etiam singularum gentium ex quibus ille compositus erat, duces censebantur, verisimiliter hominum liberorum cujusvis gentis consensu, ad leges earum quædam adjecisse, quæ nota sunt sub titulo : *capita addita ad legem*, et de quibus in constitutione Ludovici Pii vel Caroli Magni dicitur (1) : « generaliter omnes admonemus ut capitularia quæ præterito anno *legi salicæ cum omni consensu* addenda esse censuimus, jam non ulterius capitula, sed tantum *leges* dicantur, imo *pro lege salica habeantur* » (1).

Verissime itaque V. Cl. Savigny differentiam *legem* inter et *capitulare* proprie adpellatum ita indicavit : capitularia constituisse jus omni regno Francorum commune, leges vero jus singulis gentibus peculiare (2) ut lex Romana, lex Salica, lex Ripuaria aliæque quæ legis mundanæ nomine tam a lege ecclesiastica sive

(1) Baluz. T. I. pag. 623.

(2) Wendel. in proœm. f. XXI. Edit. Antverp. 1649. Idem locus in legibus Longobardicis Corolo Magno adscribitur, sed, ut putat Savigny, per errorem in collectionem legum Longobardicarum irrepsit. Cf. Vol. I. pag. 145.

(3) Confirmatur hæc sententia Leg. Longob. Othonis II. 10. Leg. Longob. Lotharii I. 70.

communi jure ecclesiastico, quam a capitularibus distinguebantur (1). Minus adcurate V. Cl. Raepsaet leges appellat *les lois constitutionnelles*, capitularia vero *la législation edictale et réglémentaire*; licet illud in sensu peculiari sumat vir Clar. et verum sit, inter capitularia et leges similem obtinuisse differentiam quæ posterius obtinuit inter *édits du prince* et *coutumes*. Leges maximam partem jus civile atque privatum, contra capitularia jus publicum et administrativum continebant. Quare etiam capitularia maximam partem spectantia ad publicas institutiones jam seculo decimo collapsas prius quam leges illæ personales venerunt in oblivionem (2), adeo quidem ut seculis XI et XII vix nota essent plurimis in regionibus. Hoc facile colligi posse ex decretis Burchardi et Gratiani observat consult. Heylen : « hi enim, inquit, plurima in suis decretis adscribunt conciliis, quæ solis capitularibus sunt adscribenda, quod facere non potuissent si eorum usus et notitia adhuc communiter substitisset (3) ».

Quædam tamen ex capitularibus præcipue quæ ordinem judiciarium spectabant, ut supra jam observatum est, in consuetudines nostras

(1) Cf. Savigny I. 112. Raeasaet II. 8 et 42. Cf. Meyer Vol. I. pag. 282. 283.

(2) Eichhorn hist. jur. Germ. Vol. I. p. 145.

(3) Dissert. laud. Cap. VII.

transierunt vel posterioribus principum edictis exemplo erunt ut e. g. Caroli M. Constitutio circa scabinos diu in Belgio in usu manebat, et Dux Brabantiæ Joannes II quoque, cum Cortenbergæ in suo Palatio 1312 conventum haberet atque consilium instituerit ad jus dicendum, voluit ut ad hoc consilium venirent *Vier Ridderen, drie goede lieden van Bruccele, eenen goeden man van Antwerpen, eenen van 't Hertogen Bossche, eenen van Thienen, ende eenen van Leeuw* atque constituit *dese die aldus ghecoren werden, selen comen ende vergaderen te Cortenberge van drie weken tot drie weken.* Quis non videt in hac constitutione quasi renatam Caroli M. constitutionem qua ad placita veniendi necessitas vassis (vier ridderen) et septem bonis viris selectis sive scabinis (zeven goede mannen) imposita est (1)?

Videamus denique quædam de jure Romano quod dominantibus Francis in Belgio vim habuit, cujus provinciæ directe ab imperio Romanorum sub imperium Francorum pervenerunt. Manifestum est hoc jus Romanum neque

(1) Vide STOCKMANS opera, in prolegomenis de ortu supremi Brabantiæ consilii. Cf. MEYER I. pag. 112 not. et diploma anni 984 ibi laudatum, in quo etiam sermo est de bonis hominibus, satellitibus et pagensibus. Cf. quoque Constitutio Caroli V. apud RAEPSAET vol. I. pag. 313, ubi sermo est de judicio saltem per *septem* ferendo.

jus justinianeum fuisse, neque eam collectionem quam pro regni Burgundici incolis Romanis Rex GUNDEBALDUS fieri jussit, neque eam quam apud Visigothos ANIANUS jubente rege eorum *Alarico* compilavit et quæ sub titulo *Codicis Alariciani* sive *Breviarii Aniani* nota in regno Visigothorum inter Romanos vim habuit sæpius legis Theodosii nomine quia Codex Theodosianus epitomatus primariam ejus partem constituit. Hoc etiam RAEPSAET existimat in cujus sententiam circa hanc rem libenter discedimus (1).

Eadem certissime jus Romanum, quo Belgæ utebantur, elementa habuit, scilicet, ut tres nominatæ collectiones ex constitutionibus imperatorum et JCtorum scriptis composita sunt, ita etiam Belgæ tempore primæ Francorum occupationis vel constitutionibus imperatorum vel scriptis JCtorum utebantur. Hæc verisimiliter in judiciis proferebant secundum constitutiones a CONSTANTINO Magno hac de re editas, quas demum nostra ætate repertas Themidis gallicæ editores primum publici juris fecerunt (2). Qua constitutionum collectione usi sint, incertum est, Codicem Theodosianum vero non

(1) Vol. II. pag. 66 sqq.

(2) THEMIS Vol. III. pag. 187. Cf. Codicis THEOD. V. libri priores edid. WENCK Lipsiæ 1825 pag. 24 sqq.

amplius in Belgio vim obtinuisse existimo, licet contrarium putat RAEPSAET, qui generaliter recte indicando duo elementa juris Romani apud Belgas, minus adcurate tamen contendit illud ex codice Theodosiano et jurisprudentia antejustinianea quæ in Schultingii collectione contineatur, constitisse. Alibi non magis adcurate asserit illud ex iis compositum fuisse quæ in pandectis et Codice Justinianeo continentur usque ad eam ætatem, quo Belgium provinciaRomana esse desierit.

Propriam juris Romani collectionem Francorum reges verisimiliter fieri non jusserunt, quia mox imperium suum extendebant et non solum regnum Burgundicum sed etiam magnam partem regni Visigothici regno suo adjecerunt, in quibus regionibus jam collectiones juris Romani ad usum communem sufficientes a regibus prioribus illarum terrarum sancitæ exstabant (1). Hæc sine dubio ab ea ætate, etiam in belgicis provinciis divulgatæ sunt, eo magis cum populorum barbarorum frequentibus incursionibus alii fontes genuini juris Romani, quibus Belgæ usi sunt antea usque ad imperium Romanum apud eos finitum, nisi omnino perditi, rariores saltem facti essent. Ceterum de continuo usu juris

(1) Cf. SAVIGNY II. pag. 79 sqq.

Romani tanquam Romanorum legis personalis in Francorum regno plurima testimonia congessit vir. Cl. SAVIGNY, adeoque probavit opus de jure Romano quod sub titulo : *Petri exceptiones legum Romanorum* ad nostram ætatem pervenit et in viri laud. Historia juris Rom. typis rescriptum est (1) ante scholam celeberrimam Bononiensem ab IRNERIO fundatam scriptum esse in regno Francorum et Gallica quidem ejus parte (2). Præterea demonstravit vir Cl. multa præcepta juris Romani non solum in capitularia sed in ipsas leges barbarorum transiisse, et quatenus municipiorum belgicorum aliorumque respublica antiquissimis principum privilegiis concessa vel confirmata ex jure Romano orta dici posset, jam superius indicatum est. Quamdiu vero in regno Francorum et præcipue in Belgio tanquam jus personale Romanorum illud vim conservaverit

(1) In appendice Vol. II.

(2) Dedicatum est Odiloni magistro civitatis Valentinæ (Valence en Dauphiné) et verisimiliter seculo undecimo scriptum. Ille *magister civitatis* alibi *vicarius* dicitur, in eodem opere Cf. proleg. cum lib. IV. cap. I, et nihilominus eum, magistratum eumdem fuisse arbitror, qui prius *defensor civitatis* dicebatur, nam etiam in diplomate antiquo apud MARTENE pag. 58, 59. relato defensor quidam Wifredus nominatur, qui in subscriptione *vicedominus* dicitur Cf. SAVIGNY II. 117 et 118. Hoc confirmat sententiam superius relatam ex defensoribus civitatis ortos esse Burgi-Magistros fortasse etiam in Belgio. Cf. MEYER Vol. IV. pag. 35 nota.

paucis adhuc examinandum est. Exstat diploma donationis secundum jus Romanum factæ anno 804 in parte Galliæ prima Francorum occupatione Romanis erepta et in vicina nobis civitate Aquisgranensi coram Ludovico Pio controversia secundum jus Romanum mota est anno 838 (1). Tam in hac controversia quam in illo diplomate jus Romanum ex breviario adlegabatur, insuper in constitutione Caroli Calvi anni 864, quæ edicti Pistensis nomine nota est, cap. 20 dicitur : » super illam legem (Romanam) vel contra illam legem nec antecessores nostri quodcunque capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus, » et in pluribus aliis locis inter homines Francicos et Romanos distinguitur ut cap. 28. 34. Hinc generaliter contendi posse videtur ea ætate adhuc ex personarum origine juris usum pependisse, postquam autem sedes hominum magis magisque certæ factæ essent, paullatim in locis singulis fere soli Romani in aliis fere soli Franci habitasse videntur, et sic pro hominibus in aliquo loco viventibus locum ipsum nominando in laudato edicto cap. 16 aliisque dicere poterat Carolus Calvus : « in illa terra in qua judicia secundum legem Romanam terminantur, in illa terra, in qua judicia secun-

(2) Savigny II. 116.

dum legem Romanam non judicantur. » Hanc explicationem quam dedit SAVIGNY (1) etiam MEYER adoptavit (2). Peculiarem de continuo usu juris Romani sententiam habet RAEPSAET (3). Putat vir consultissimus jam antiquissimis temporibus jus Romanum non solum inter Romanos principalem sed etiam inter Barbaros vim subsidiariam habuisse, ut enim, ait, ex legibus Barbarorum ad nostram ætatem perlatis videri potest, hæ leges de innumeris rebus nihil constituerunt, de quibus jus Romanum præcepta locupletissima habet, illis rebus itaque Barbaris notis, iidem necessario juris Romani auxilium invocare debuerunt. Sed contra hanc sententiam observandum est, nec amplius notitiam juris Romani quam Galli et Belgæ post tot populorum Barbarorum incursiones et continuorum bellorum calamitates conservaverant admodum perfectam fuisse ea ætate, ubi populi barbari certas sedes in provinciis Romanis collocare cœperunt, cujus rei testimonium firmissimum suppeditat lex Romana Burgundionum, quæ fere non lo-

(1) Vol. I. p. 148.

(2) Vol. I. pag. 287 not. 2. Cf. MONTESQUIEU esp. des lois liv. XXVIII. chap. 4, qui tamen non omnino eamdem sententiam habet, sed jam tempore Caroli Calvi ex liberâ juris optione jus Romanum in provinciis Galliæ meridionalibus commune in septentrionalibus obsoletum factum esse credit.

(3) Vol. II. pag. 68 sqq.

cupletior est juris præceptorum collectio quam collectiones legum barbararum quæ ad nostram ætatem pervenerunt. Contra, ut monet Savigny, imperfectæ illæ legis Salicæ, Ripuariæ aliarumque collectiones certissime non omne jus illorum populorum continebant, quod maximam partem traditione magis quam scriptura propagabatur. Sine dubio paullatim Germani singula juris Romani præcepta adoptabant, adeoque cum mores suos primum scripto consignarent, in eorum collectione receperunt, sed hoc apud eos tanquam generale præceptum obtinuisse, deficientibus consuetudinibus propriis ad jus Romanum esse recurrendum, nullo modo credibile est. Ex his dijudicari potest quanta fides habenda sit reliquæ parti sententiæ quam V. Cl. Raepsaet de continuo usu juris Romani in Belgio profitetur. Illud etiam a seculo nono usque ad seculum decimum tertium continuum usum habuisse contendit in Curiis dictis *du domaine le Roi*, cum enim, ait, in Curia Regis duo seniores haberent controversiam, ea dirimenda erat ex lege salica quæ inter nobiles adhuc seculo XII, teste Ottone Frisingensi, vim habuit. Silente vero lege salica non alio jure quam jure Romano uti poterant. Erant quidem jam ea ætate diversæ ubique consuetudines dictæ *de la cour* (jus curiale, hofrecht); huic vero juri seniores ipsi subjici non poterant.

Alias in curiis seniorum quoqne jure curiali deficiente *secundum Rectum* judicandum erat, qua sub re nihil aliud quam *jus Romanum* intelligi potest (1). Adfert etiam V. Cl. testimonia de continuo juris Romani usu in Belgio, sed antiquissimum est anni 1280, quo tempore notitia juris Romani justinianei per Scholam Bononiensem divulgata forte jam in regiones Belgicas ut in alias pervenerat. — Ex eo quod in antiquioribus diplomatibus sæpius sermo est de legum magistris, legum Doctoribus, juris peritis, scientibus uti legibus, nullum argumentum desumi potest pro usu juris Romani eo tempore. Licet enim ex hoc antiquo usu ad judicia scabinorum adsciscendi juris peritos in Belgio ortum esse videatur munus eorum qui posterius *Conseillers pensionnaires de ville* dicebantur, et scabinos quasi adjuvabant in jure dicundo; illi juris periti antiquiores tamen non alii fuisse videntur quam ii qui in legibus Germanicis antiquissimis *sagibarones* dicebantur, ex optima hujus vocis explicatione quam nuper MAURER (2) dedit. Institutio vero sagibaronum germanica omnino est, et ex eorum usu in antiquissimis placitis germanicis etiam ortus esse videtur usus qui hodie adhuc in Anglia observatur adsciscendi juris

(1) L. l. pag. 86. 87.
(2) Op. laud. pag. 19 sqq.

peritos si res judicanda est in Curia suprema Parlamenti in qua judicantes non necessario JCti esse debent (1). Inter seculum nonum itaque et decimum tertium jus Romanum tanquam Lex personalis partis incolarum in desuetudinem abiisse videtur in Belgio ut in provinciis Galliæ septentrionalibus, contra in provinciis Galliæ meridionalibus jus Romanum ante Scholam Bononiensem per Irnerium fundatam jus territoriale commune factum est inter omnes incolas, unde orta est differentia inter *pays de droit écrit* et *pays de droit coutumier* de qua, ut de propria Belgicarum consuetudinum origine, quædam adhuc in sequenti paragrapho dicenda sunt.

§. 10.

Prima hujus differentiæ mentio certa auctore Savignio invenitur in Jure Canonico, in epistola

(1) In antiquissimis quoque Anglo saxonum placitis (shiregemote) præsentes fuisse contendit *Worthington* op. laud. pag. 18. *the shire-gerieve, the Lawmen, the Thanes, the Clergy* et *the Landholders,* eoque loco docet falsam esse sententiam eorum qui originem Juratorum ex illis *Lawmen* repetunt. Huic opinioni tamen locum dedisse videtur mos antiquus juratos quoque *legales homines* adpellandi. -- Fortasse judices dicti *Etten* apud Drenthinos, qui etiam *Athemanni* dicebantur, a *Wet*, et *man*, ita vocati sunt quasi *legales homines.* -- Cf. Philips de Anglo Saxonum re judiciaria Gotting 1825. pag. 10.

scilicet Honorii III decretali anni 1220 (1) in qua expresse dicitur : « In Francia et nonnullis provinciis Laici Romanorum imperatorum legibus non utuntur, et ocurrunt raro ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri; ut plenius sacræ paginæ insistatur, firmius interdicimus et distinctius inhibemus, ne Parisiis vel in aliis civitatibus vel aliis locis vicinis, quisquam docere vel audire jus civile præsumat. »

Non nostrum est hic examinare hujus constitutionis prohibitionem in quam præter alios multos (2) nuper etiam SAVIGNY adcuratius inquisivit, hoc solum spectemus quid circa argumentum nostrum ex laudato loco efficiendum sit. Patet vero ex eo, jus Romanum in aliqua parte Galliæ nominatim in civitate Parisiensi quæ usque ad nostram ætatem ad terram juris consuetudinarii pertinebat jam anno 1220 inter Laicos non amplius vim habuisse, adeoque ipsi Clerici eo eatenus tantum usi esse videntur, quatenus ejus præcepta in decreto GRATIANI jam tunc divulgato recepta erant; propterea quoque mox tantam auctoritatem obtinuit decretum quia magnam partem juris in

1) Cap. 28. X. de privilegiis (libro V. tit. 33.).

(2) Cf. e. g. TERASSON hist. de la jur. Rom. pag. 439 sqq.

diversis Europæ regionibus præcipue inter Clericos jam antea observati continebat (1). Contra ex laudata epistola decretali efficiendum est, jus Romanum in alia Galliæ parte ea ætate vim inter Laicos habuisse. Quod si quis dixerit de *Francia generaliter* loqui pontificem ET *nonnullis provinciis*, responderi posset, aliquam partem Galliæ meridionalis Franciæ nomine tunc temporis proprie *non contentam* fuisse. Ceterum laudata verba epistolæ ita intelligenda esse videntur, ac si scriptum esset *in Franciæ nonnullis provinciis*, insuper jus Romanum etiam per seculum nonum, decimum et undecimum in Gallia meridionali iisque provinciis quæ prius sub Burgundionum et Visigothorum ditione erant, et posterius juris scripti terram constituerunt, usum continuum habuisse, SAVIGNY ex diplomatibus innumeris probavit.

Denique in PETRI opere de jure Romano in Gallia meridionali verisimiliter seculo undecimo scripto, cujus superius mentionem fecimus, notatu dignus hic locus invenitur (2) : « Omnis hæc solemnitas nessaria est *his partibus in quibus juris legisque prudentia viget; aliis vero partibus, ubi sacratissimæ leges incognitæ*

(1) Cf. EICHHORN hist. II. pag. 206.
(2) II. 31. fin. Cf. SAVIGNY II. 133.

sunt, sufficit sola oblatio. » Hic de differentia inter terram juris scripti et terram juris consuetudinarii manifeste sermo est atque non minus clare, quam in ordinatione PHILIPPI anni 1302 ubi dicitur : « Ordinamus quod si aliquæ personæ provinciarum quæ *jure communi* reguntur in Parlamento nostro causas habeant, quæ *jure scripto* debeant terminari, sententia definitiva ipsarum secundum jus scriptum feratur », quæ verba ex alio loco ordinationis anni 1312 ejusdem regis explicantur, « regnum nostrum *consuetudine moribusque* præcipue, *non jure scripto* regitur (1). »

Si itaque PETRI opus de quo diximus revera seculo undecimo scriptum est, jam ea ætate omnes incolæ provinciarum Galliæ meridionalium jure Romano tanquam jure communi territoriali usi sunt, et jus Germanicum tanquam jus personale incolarum originis germanicæ in iis provinciis abolitum erat, contra in provinciis septentrionalibus atque Belgicis jus Romanum, tanquam jus personale partis incolarum in usu esse desierat et aliquatenus jus territoriale factum est illud jus, quod jam antea inter Germanicos incolas earum provinciarum vim habuerat. Hoc jus consistebat præcipue in lege salica et Ripuaria neque tamen in eo solo

(1) Cf. MEYER V. II. pag. 109 nota.

quod harum legum nomine ad nostram ætatem pervenit, sed in multis aliis consuetudinibus quas sine dubio Franci aliique illi populi cum Romanis in eodem regno viventes ab antiquissimis temporibus servabant, et jus hoc antiquum Germanicum consuetudinum belgicarum multo serius scripto consignatarum et usque ad jus Gallicum nobis communicatum observatarum fontem principalem constituit. Hinc etiam in omnibus his diversissimis consuetudinibus, quædam præcepta communia inveniuntur, quæ itidem in consuetudinibus gallicis adeoque in jure communi Angliæ, et in diversissimis juribus localibus Germaniæ inveniuntur; omnes enim diversi populi Germaniæ jam antiquitus communia quædam juris præcepta servabant, eaque introduxerunt, ubicumque sedes collocarunt. Hinc etiam, ut jam D'Aguesseau contendit consuetudines Gallicas præcipue Normannorum ex jure Anglico et hoc ex illis explicari posse, ita etiam nostra ætate juris Germanici scriptor præstantissimus Mittermaier in exponendo eo quod adhuc nomine juris privati germanici communis (1) in Academiis Germacis docetur, feliciter consuetudinibus Gallicis et Belgicis usus est, tanquam auxilio.

(1) I. q. Galli conférences des coutumes dicebant. Mittermaieri opus de jure Germ. priv. hoc ipso anno tertiam editionem obtinnit.

Similem etiam sententiam vir Cl. RAEPSAET (1) professus est, adeoque demonstravit, multos locos ex scripturis legis Salicæ et Ripuariæ antiquissimis adhuc superstitibus, verbatim fere in multis consuetudinibus belgicis contineri, et si plura in his continentur, quæ in illis legibus frustra quæruntur, hoc pro parte adscribendum est ei, quod jam diximus, quod non omne jus populi Francici originarium, ut sub Francorum regibus in Belgio vim habuit, scripto consignatum ad nos pervenit, pro parte vero aliis causis mox explicandis. Quomodo vero factum sit, ut omnia illa jura quæ legis Romanæ Salicæ Gothicæ Burgundicæ nomine in regno Francorum usque ad seculi noni finem tanquam personales leges hominum ejusdem originis quocunque regni loco viverent, servanda erant, versus finem seculi undecimi quasi diversas sedes certas obtinuerint, et Romano juri versus meridiem, Germanico autem versus septentrionem quasi imperium contigerit, res est ut difficillimæ quæstionis ita summæ controversiæ.

Mirum præcipue videtur in quibusdam regionibus gallicis, a seculo undecimo usque ad nostram ætatem jus Romanum tanquam territoriale semper vim habuisse, in quibus tamen

(1) Cf. e. g. V. I. pag. 243 et II. 42 sqq.

ad seculum octavum usque imperium Visigothorum duravit, quorum reges jam seculo septimo jus Romanum tanquam jus personale Romanorum expresse abrogaverunt, atque omnes suos subditos secundum novum codicem legum Gothicarum eo seculo confectum vivere jusserunt (1). Præterea notandum est, licet jus Romanum usque ad dissolutionem imperii Francorum in Gallia servatum potissimum codice Ala-

(1) Cf. Savigny II. pag. 75. et III. Cf. etiam P. J. Mellii Freirii historia juris civ. Lusitani Olisipone 1788 pag. 24 sqq. Ex hoc opere pag. 34 etiam docemur, Mauros in Hispania idem præceptum secutos esse regione subacta, quod in Gallia secuti sunt Germani. « Arabes in qualibet provincia comitem quoque unum et alios minores magistratus ex Christianorum ordine eligebant qui iisdem secundum Gothorum leges jura darent, Lusitania potiti, religionis libertatem et civilium legum optionem reliquerunt » Cf. Montesquieu XXVIII. 7. Finita quoque in Lusitania Maurorum dominatione Alphonsus rex Mauris in Lusitania remanentibus suis legibus vivere permisit, et adhuc in Alphonsi V. Ordinat. Libro II. tit. 100 legitur : « Que os Alcaides dos Mauros guardem em seus julgados *entre si* os seus direitos, usos e costumes » *h. e.* : Ut judices Maurorum servarent in controversiis *inter ipsos* sua jura mores et consuetndines. Mellii Freirii hist. pag. 44. — Videtur igitur in Lusitania systema jurium personalium seculo decimo quinto adhuc obtinuisse. Exemplum jurium personalium recentissimum occurrit in fœdere inter Anglos et regni Siam moderatorem inito quo pactum est, ut Angli in hoc regno contra rempublicam peccantes ex juris Anglicani præceptis punirentur. Cf. Journal de la Belgique 1827. N° 71.

rici constaret, posteriori ætate tamen usque ad nostram in regionibus Gallicis meridionalibus jus justinianeum tantum floruisse, adeoque in Gallia non solum notum fuisse ante scholam Bononiensem fundatam, sed etiam Petro operis superius laudati fere solos fontes suppeditasse, atque abinde vim communem obtinuisse videri. Hoc tamen facilius explicari posse videtur: jus justinianeum enim ex iisdem elementis ex quibus Codex Alarici compositum, sed magis cultum atque perfectum, simul ac notum fieret in regionibus ubi codice Alariciano utebantur, hunc paullatim debuit eliminare, ut etiam in regionibus Belgicis in quibus verisimiliter jam antiquissima ætate tanquam lex personalis lex Saxonica viguit, multo serius collectio consuetudinum germanicarum in germania facta atque sub titulo *Speculi Saxonici* nota, licet ab antiqua lege saxonica diversa, aliquam tamen auctoritatem obtinuit propter ejus similitudinem cum eo jure, quo Belgæ jam antea usi sunt (1).

Notitia vero juris justinianei quod in Italia, ut hodie pro certo habetur, non demum ab

(1) Cf. SENKENBERG visiones diversæ de collectionibus legum Germ. et usu speculi Saxonici in Belgio, Lips. 1765. Idem dicendum de speculo Belgico-Franconico (Keyzerregt) quod in Batavia quondam commentatus est BONDAM.

instituta schola Bononiensi vim recuperavit, sed eam continuo ab ipsis justiniani temporibus usque ad nostram ætatem habuit, ex Italia facile transire potuit in Galliam ab ea ætate, qua novo regno Burgundico et Arelatensi finito imperatores Romano-Germanici quarumdam provinciarum Galliæ meridionalium quasi domini censeri cæperunt, et arctior inter eas atque Italiam conjunctio orta est. Abolitio vero juris Germanici in gallia meridionali, juris Romani in septentrionali quæ inter seculum nonum et undecimum locum habere debuit, adhuc multum obscuritatis habet. Ratio qua eam explicuit Montesquieu, displicuit viro Cl. Savigny propter suppositam ab illo liberam juris optionem, quam hic minine concedit, neque hujus sententia omnem de hac re dubitationem amovit (1); contendit vero Savigny jus territoriale in utraque Galliæ parte diversum non nisi post abolitas quoque leges germanicas tanquam personales oriri potuisse; sed ea ætate qua secundum Petri laudatum opus et propriam Savignii sententiam illa diversitas jam diu constituta erat, ex qua nec amplius de legis Romanæ usu in provinciis septentrionalibus contra de communi ejus usu in provinciis meridionalibus tes-

(1) Cf. Montesquieu XXVIII. 4. Savigny I. pag. 149 sqq.

timonia supersunt, teste Ottone Frisingensi lex salica adhuc in Gallia ergo in Gallia septentrionali et verisimiliter etiam in Belgio in usu erat inter nobiles; hoc ipsum tamen aliquatenus confirmat viri clarissimi sententiam. Erant enim jam antiquissimis temporibus inter Germanos non solum consociationes gentium quarum quævis licet cum alia sub eodem imperio esset, tanquam gens peculiaris peculiari jure utebatur, unde systema jurium personalium quod vocant, originem habuit; sed præterea aliæ consociationes exstabant quarum una inter principes et comites ejus jam a Tacito memorata post provincias Romanas occupatas juri feudali originem dedit atque nexui inter dominum et vasallos. Ex hoc nexu certissime jam Caroli Magni tempore propria judicia orta erant quibus in causis ad hunc nexum spectantibus præside seniore fideles judicabant, ut præside comite boni homines in placitis popularibus.

A quo tempore vasali a dominis bona hereditaria accipere cœperint, nostrum non est examinare, eorum officia vero originarie præcipue in militaribus consistebant. Ab hoc nexu feudali probe distinguendus est alius ex domestica administratione villarum regiarum ortus in quo singuli homines liberi seniori cuidam vel ec-

clesiæ ad quædam ministeria et officia honorifica obligati ab iis bona jure officii, jure curiæ tenebant. Hi ministeriales servitores dicti et a vasallis probe distinguendi etiam propria sua judicia habebant, in quibus præside seniore illi judicabant in causis ad hunc nexum particularem spectantibus.

Ut boni homines et Rachimburgi præside principe et comite non solum judicabant, sed etiam jus suum populare excoluerunt, ita etiam vasalli et ministeriales præside seniore vel ejus vicem gerente non solum judicabant sed etiam jura feudalia et curialia excoluerunt. Paullatim etiam magis magisque extendebantur hæc peculiares consociationes iisque mox consociationes gentium dissolutæ sunt, indeque leges salicæ, Ripuariæ aliæque tanquam tales vim perdere debuerunt, et in curte cujus visillarum associationum peculiarium peculiare jus locale oriri debuit. Sic originem consuetudinum localium explicat SAVIGNY auctore viro Cl. EICHHORN et similem quoque de origine consuetudinum localium Belgicarum sententiam profitetur RAEPSAET (1). Observat vir Cl. jam ante interitum legum Germanicarum, tanquam legum perso-

(1) Præcipue Vol. III. pag. 119 et passim.

nalium præter codicem publicum (Lois nationales et chapitulaires) ubique exstitisse Codicem domesticum (jura curialia, Hofrecht).

Jus curiale quodvis sane ampliari debuit accessione plurium hominum qui antea non nisi ad popularem consociationem pertinebant, et hinc in ipso jure curiali paullatim ex lege Salica, Ripuaria, vel ipsa Romana aliquid receptum est, quod fortasse homines antea nullo vinculo peculiari obstricti tanquam accessionis suæ conditionem postulaverunt. Nobiles sine dubio ad ejusmodi consociationes tanquam servitores rarius accesserunt (1) et inde explicare possumus cur seculo XII teste Ottone Frisingensi non nisi inter nobiles adhuc vim haberet lex salica. Mox vero etiam inter eos legis salicæ usus cessavit, in Germania jam prius leges illæ antiquæ Bajuvariorum Saxonicæ aliæque in dessuetudinem abierunt et ubique jura peculiaria singulorum locorum orta sunt, quæ tamen inter se communitatem quamdam habuerunt atque cognationem ut in Belgio. Præcipue itaque ex speciali illo jure curiali, et ex antiquis illis legibus popularibus consuetudines Belgicæ, ut Gallicæ et Germanicæ argumentum suum ac-

(1) Exempla tamen exstant Cf. Mittermaier Jus privat. § 47.

ceperunt. Quædam in iis præcipue quoad rem publicam municipalem et rem judiciariam fortasse juri Romano debentur atque certe capitularibus; et ex similibus elementis etiam jus commune anglorum consistit (1), scilicet ex antiquo jure Anglo-saxonico, consuetudinibus Normannorum, antiquissimis parlamenti statutis, quæ lingua sæpius latina scripta qua talia posterius in oblivionem venerunt, et fortasse etiam juris Romani præceptis, quod apud Anglos quoque diu inter Britannos qui quondam Romani erant usum suum conservaverat (2).

Ut superius vidimus, seculo decimo quarto in Gallia quoque consuetudines juris communis nomine appellabantur; certissime ex iis quæ adhuc retulimus secundum virorum eruditorum nostræ ætatis sententiam origo consuetudinum localium, et interitus legum Salicæ, Ripuariæ aliarumque adeoque harum legum transitus in leges speciales Curiarum seniorum, ex iis tamen non æque perfectus interitus juris Romani explicari potest. Cum enim adhuc seculo duodecimo, ut certum est, in quibusdam municipiis

(1) Cf. HALE history of the Common Law of England. Lond. 1820, pag. 88. MEYER Vol. II. pag. 107 sqq. Bibliothèque du Jurisconsulte et du Publiciste, Liége 1826 Vol. I. pag. 228 sqq.

(2) Cf. superius laud. opus auctoris recentissimi SPENCE in præfationie et passim.

ut in civitate Remorum, Coloniæ aliquatenus respublica Romana, adeoque Coloniæ fraternitatis officialium nomine antiqua Curia Romana exstaret, quæ nulli juri Curiali ex consociationibus Germanicis orto subjecta erat, explicari non potest, cur non saltem inter illos officiales lex romana, ut inter nobiles lex salica usque ad illud seculum sit conservatum?

De usu vero juris Romani tanquam juris personalis in municipiis illis ut in omni Gallia septentrionali et Belgio post seculum octavum testimonia desunt, adeoque ex testimoniis superius allatis cum certitudine dici posse videtur illud seculo undecimo quo jam territoriale jus in Gallia meridionali factum erat, in septentrionalibus regionibus vim habere desiisse tanquam jus personale Romanorum ideoque interiisse ante perfectum interitum legum Germanicarum quæ tanquam leges personales nobilium saltem usque ad seculum decimum vim habebant licet aliquatenus territoriales factæ essent in septentrionalibus provinciis i. e. non nisi in iis amplius vim haberent. Revera jam ex loco edicti Pistensis superius relato patet in quibusdam frequentiorem usum juris Romani, in aliis frequentiorem Germanici fuisse, licet tunc temporis ex legibus Germanicis nondum diversæ

consuetudines locales factæ essent. Pro parte hoc explicari potest ex eo quod in meridionalibus provinciis jus Romanum diutius usitatum erat, quod in eas minus frequentes irruebant barbari et reges qui in iis ante Francos regnabant, generaliter juri Romano magis favebant, ut in regno Visigothorum ex collectione juris Romani locupletiori videri potest; et cum posterius Franci iis partibus potiti essent, ipsi mitiores facti minus qnoque Romanos opprimebant, quam antea in regionibus prius occupatis fecerant.

Nihilominus tamen diu et in provinciis meridionalibus juris Germanici, ut in septentrionalibus Romani usus manebat. Fortasse vero post dissolutum Francorum regnum ad generalius introducendum jus Romanum in provinciis meridionalibus multum contulit novum regnum Burgundicum in parte earum provinciarum constitutum, tum arctior earum cum Italia conjunctio et notitia juris Justinianei mox divulgata. Sine dubio etiam in his partibus mox capitularia in desuetudinem abierunt, et cum iis illæ dispositiones, quæ *competentem cuivis legem* servabant. Contra juris germanici usum verisimiliter generaliorem redidderunt in provinciis septentrionalibus Normannorum incur-

siones, et principum Belgicorum studium summam potestatem adipiscendi, in iis quoque capitularia mox in desuetudinem abierunt, et ipsius *linguæ latinæ diminuta notitia* jus Romanum et capitularia eadem oblivione diluit. Tali modo jus Romanum et Germanicum ab initio quasi in extremis partibus antiqui regni Francici vim præcipuam obtinuerunt, eamque paullatim extenderunt usque dum utrumque certi fines separarent. Jura curialia verisimiliter post factam jam aliquatenus hanc divisionem in provinciis septentrionalibus magis extendebantur, et cum legibus illis antiquis magis quidem cognata quoad originem, sed iis tanquam jura specialium consociationum adversa easdem paullatim dissolverunt, cum in provinciis meridionalibus ubi sine dubio etiam curiæ seniorum ortæ sunt iisdem curiis post jus Romanum jam generalius constitutum jus locale ubique diversum non amplius effici posset.

Cæterum ex ministerialibus, progrediente ætate sæpius in Belgio, ut alibi vel veri vasalli facti sunt vel servi et quidem alii quam antiquitus erant servi Germanici atque Romani (1). In quibusdam municipiis, quæ etiam semper

(1) Cf. Mittermaier Jus priv. § 47 et 73.

aliquatenus rempublicam liberam conservasse videntur, jus curiale vel non omnes obstringere poterat, vel saltem non servos reddiderat municipales (1). Fortasse itaque ii qui hoc nexu non obstringebantur et quondam Romani erant, ut Coloniæ illa fraternitas *Richerzeggede* dicta, quasi particularem consociationem constituerunt, quæ autonomia aliqua juris Romani præcepta quibus antiquitus utebantur, paullatim ita mutavit ut ea mox non amplius nomine juris Romani venirent, sed jus municipio peculiare constituerent, ut consociationibus ministerialium quoque jus in quavis curte diversum constitutum est. Ut jus curiale ex legibus germanicis argumentum suum auxit, ita etiam jus municipale tali modo augeri poterat, præcipuè cum in municipiis quondam Romanis pristini decuriones sub liberorum hominum germanicorum nomine in diplomatibus post plura secula scriptis adpareant, et constet eos tanquam scabinos cum aliis scabinis originis Germanicæ e. g. Coloniæ præside eo qui imperatoris nomine jurisdictionem exercebat, in causis gravioribus judicasse.

Jam superius diximus præter hunc Burgensium Comitem, Coloniæ episcopi nomine eadem

(1) Cf. Raepsaet III. pag. 293. Meyer IV. pag. 23 sqq.

ætate alium magistratum secundum jus curiale jus dixisse judicantibus miuisterialibus.

In Belgio ubi principes mox levi tantum vinculo feudali Imperatoribus Germaniæ, vel Regibus Franciæ obligati erant et mox non amplius imperatorii vel regii magitratus exstabant, verisimiliter seniores paullatim municipales juri curiali subjicere magis tentaverunt, unde sæpius dissentiones ortæ sunt, quæ cum aliis causis illis privilegiis originem dederunt quæ a principibus Belgicis inde a seculo duodecimo concessa in pluribus saltem civitatibus non nisi confirmationes erant antiquorum jurium et diversa elementa ad unam communitatem conjunxerunt. Varias tam de prima communitatum institutione quam de hujus institutionis utilitate sententias habent Meyer atque Raepsaet. Hoc certum esse videtur municipia plura majorem autonomiam quam dicunt illis privilegiis obtinuisse, et hinc inter diversa jura municipiorum localia, nomine consuetudinum post plura secula scripto consignata, eo major orta est diversitas.

Notatu dignum est cum ipsa institutione communitatum legis salicæ inter ipsos nobiles usum desiisse, fortasse cum sæpius a principibus

privilegia concederentur urbibus ad nobilium potestatem frangendam, ea re nobiles ipsi strictius nexu feudali principibus obligabantur, ut etiam communia quasi vasalli principum censebantur (1).

(1) MEYER et RAEPSAET l. l. De communium institutione in Belgio Gandavi quoque opus editum est a Viro Cl. DE BAST. -- Nuper in Germania de re municipali medii ævi opus edidit HUELLMANN, prima pars tamen Bonnæ 1826 edita non nisi de mercatura et opificiis tractat.

POSITIONES.

EX JURE CIVILI HODIERNO.

I.

Divortio contra patrem pronuntiato, usumfructum a lege concessum in bonis liberorum, etiam *vivente marito*, matri tribuendum esse, opinamur.

II.

Hypotheca quæ in bonis futuris constituitur, ea tunc demum afficit cum ad debitorem spectare incipiunt.

III.

Liberis naturalibus sicuti incestuosis et adulterinis alimenta a parentibus debentur.

IV.

Non potest consensus consilii familias requisitus ad nuptias minorum XXI annis in casu art. 160 c. c. a judice suppleri.

EX JURE CRIMINALI.

V.

Supplicium capitale, infelici forsan necessitate, aliquando admittendum.

VI.

Male parricidium a Legumlatore Gallico promiscue eadem pœna adficitur.

EX JURE ROMANO.

VII.

Vestimentorum *verus* datur ususfructus.

EX JURE PUBLICO.

VIII.

Ex Lege fundamentali regni nostri Rex cum summo Pontifice pactum de rebus ad ecclesiam pertinentibus (concordat) sancire potest.

Ordo Jureconsultorum hanc dissertationem vidit ex legis præscripto.

« *Dit* SPECIMEN *opgesteld zijnde, zal hetzelve aan de beoordeeling der Faculteit onderworpen worden, om toetezien, dat daar in niets gevonden worde, strijdig met de openbare orde en goede zeden : blijvende voor het overige ieder onverlet de vruchten zijner overtuiging voortedragen, zonder dat die in eenig geval voor het gevoelen der Faculteit of der Hooge-School zullen gehouden worden.* »

DECOSTER, DECANUS.

HOLTIUS, ORD. A SECR.